EURYTHIMIA PONTIFICALIS ADUERSUS EUROCLYDAM CLERI GALLICANI...

Francisco Sequeiros y Sotomayor




NAZIONALE
VITT. EMANUELE
13
25 H
22

1
1707

R^MUS P. M.
SEQVEIROS
CONTRA
PROPOSITIONES
CLERI GALLICANI.

EVRYTHIMIA PONTIFICALIS

ADVERSVS

EVROCLYDAM CLERI GALLICANI DE ECCLESIASTICA POTESTATE DECLARATIONEM.

SIMVLQVE CANONICA DISSERTATIO,
Super Cap. Vnam Sanctam de Maiorit. & obedient.

Vtrùm Summus Pontifex tanquam Christi Vicarius Omnibus, & in Omnibus, siuè Temporalibus, siuè Spiritualibus Dominetur, & præsit?

PER MANVS
EMINENTMI, AC EXCELLMI PRINCIPIS,
D.D. SAVI MILLINI ARCHIEPISCOPI CÆSARIENSIS.
PRO SS. D. N. PAPA INNOCENTIO XI.
Apud Catholicum Hispaniarum Regem Carolum II. Apostolici Nuntij, Legati à Latere, eiusque Reuerendæ Cameræ Generalis Collectoris, S.R.E. Cardinalis, &c.

PEDIBVS
SS. D. N. INNOCENTIJ XI. Dicata, & oblata.



AVTHORE
Rmo P. M. Fr. FRANCISCO DE SEQVEYROS & SOTOMAYOR Augustiniano, olim sui Regalis Collegij Complutensis Rectore, Prouintiæ Castellæ Diffinitore, Catholicæ Maiestatis Caroli II. Concionatore, in Vniuersitate Complutensi Cathedræ S. Thomæ moderatore, nunc verò Vespertinæ Magistri Sententiarum Cathedræ publicè Regente, &c.



CVM LICENTIA. In Officina Francisci Garcia Fernandez, Typographi Vniuersitatis Complutensis. 1683.

EMINENTISSIMO,

ATQVE EXCELLENTISSIMO PRINCIPI D. D. SAVO MILLINO ARCHIEPISCOPO CÆSARIENSI, PRO SANCTISSIMO D. N. PAPA apud Catholicum Inclytum Hispaniarum Regem CAROLVM II. Apostolico Nuntio, Summi Vnici Capitis Legato à Latere, eiusque Reuerendæ Cameræ Generali Collectori, S. R. E. Cardinali, &c.



E Præsens labor alibi, quam vbi exoptat, locetur, EMINENTISSIME DOMINE, Tuam tantum Sacratissimam manum expetit, vt sub manu Angeli pennæ hominis eleuentur; quid enim Angelus, nisi Nuntius? Et quid Tu, maxime, nisi Nũtius, & Angelus? Meus Augustinus dixit, Angelũ nomen officij, non Naturæ: sed optimus ille, qui facit Angelos suos Spiritus, Tibi, non tàm officio, quàm genio, nomen Angeli à fuco alienum adaptauit, vt munus Spiritui, Spiritumque muneri subseruire cerneret, quisquis Te Angelum contemplaretur, & Nuntium. *Inter omnia Reipublicæ munia, quæ sane multa, & diffusa sunt* (scribit ille Fredericus in suo volumine de Legato) *vnum Legati, & officij necessitate, & rerum amplitudine, & dignitatis splendore*

Freder. Marselaer lib. 1. dissert. 3.

 ex-

excellit; cui excipiendo, non nisi dite pectus, sustinendo, non nisi magnus animus par est. Sane Principis Imago Legatus est, & Principali igitur honore censendus, qui dicit omnia, agitque tanquam ipse Summus sit; quippe Sacrosancta praeditus Potestate. Hæc ille: verum de Te, singulariter allocutum sua sponte se obijcit; vtpote quia summi illius pro Rege Regum Principis summa Imago coleris, omnia eius dicens, cunctaque agens tàm Sancta Potestate præcellens, vt Eminentiam Tuam non tam effigiem crederem, quàm oraculum. Dite pectus! Parem animum! Et O! Antonomastice Nuntium: cui omnes Legati optimi dotes, nulla minus, in pectore, & spiritu; Fama, Sacramentum, Fides, Nobilitas, speciei præstantia, Firmitas corporis, Vrbanitati procliuitas, Munificentia, Continentia, Gratia, publice Spectabili, Religionis tenaci, Erudito, Eloquenti, Faceto, non dicaci, Prudenti, non ignaro Aulæ, lente Festinanti, Circunspecto, Memori, Veraci, Fido, Fœlici.

Ex ipso Authore per totũ.

Tibi igitur, qui inter tot Sanctissimos Romani culminis Purpuratos Patres, Ostrum proprio murice accendis, & qui dextram manum Supremi Capitis offers, dum Cardinales omnes membra sint longe, lateque Eminentia, è quibus Ecclesiasticæ Hierarchiæ corpus nedum assurgit, verum & solidatur: Tibi, iterum, atque iterum Tibi, & vni, mea leuis ista opella se subijcit, vt pudor Authoris sit Purpura protegentis; è Sacris Canonibus libata, palmam Tuam circumit, quia si Canon regula est, Regula aurea Angeli mei, cui alloquor, metietur San-

Hugo de S. Victore

Ex Apoc. 21. & Math. 16.

Sanctam Ciuitatem, murum, & portas, aduersus quas portæ Inferi non prævalebunt.

Non ergo tali palma, suffulta papyrus ista sitũ vllum exambit, quam altissimum fastigium illud Beatorum pedum Sanctissimi INNOCENTIj Nostri, cuius est scopus, cui fixi palpebrã, dum pennam assumpsi. Ipsi laborem, ipsi operam, ipsi oleũ, ipsi gloriam, quamvis ex me exiguam, tota deuotione committo, tota mente devoveo, vt ex imagine saliat in prototypum, & vt ex Angelo transeat in Vice-Deum. Consulto, èquidem, & non sine arcano: vt dicat, specto, organum illud Sancti Spiritus Propheticum: *Ecce manus missa ad me, in qua erat involutus liber, & expandit illum coram me.* Sic fido, sic rogo, ita benigno Deus dextera benignus aspiret, publico Christiani Orbis bono, Ecclesiæ fulcro, Fidei propugnaculo. Vt voveo: & me, Ezech. 2.

PVRPVRATORVM OPTIME

Sacræ Dignissimæ Eminentiæ tuæ
æternum devinctus,

M. Fr. Franciscus de Sequeyros,
& Sotomayor.

CENSVRA RR. P.M. Fr. FRANCISCI EMANVELIS de Zuñiga Regalis Collegij S.P. N. Augustini Complutensis Rectoris.

EX præscripto R. admodū P.N.M. Fr. Petri de Ortega Rectoris Prouincialis huius Prouinciæ Castellæ Obseruantiæ Ordinis Eremitarum S. P. N. Augustini examen, & Censuram mihi iniungentis: *Eurythimiæ Pontificalis, aduersus Euroclydam Cleri Gallicani de Ecclesiastica Potestate declarationem, simulque Dissertationis Canonicæ super cap. Vnam Sanctam de maiorit. & obedient.* Inquirentis vtrum Summus Pontifex omnibus, & in omnibus, siue spiritualibus, siue temporalibus dominetur, & præsit? Authore R. P. M. Fr. Francisco de Sequeyros, & Sotomayor Regio Concionatore, & in hoc maioris Orbis Lyceo Vespertinæ Cathedræ Moderatore. Ea sedulus evolui, vigil inspexi, potius, fateor, ad occultam chrysim, quam ad sæpe cæcam amicitiam propensus: ad trutinam igitur veritatis iustam moderās censorias proprij iudicij lances. Legi opus operiosissimū, multiplex, acre, sublime: scripta grauia mature, profunda solicitè, dubia cōstāter, argumētosa disputatorie. Experietur quis quis (hoc scilicet opus deuoluēs) Lutheranos, Caluinistas, aliosque hæreticos contra Authoritatē Pontificiā dimicātes, proprijs armis, proprijsque concuti machinamentis; acrium more Medicorum, qui remedium contra venena, cum ratio compellit, & de serpente conficiunt. Vidi lucem separatam à tenebris. Opus est authoritate graue, stylo dulce, methodo formosum, fidei consonum, moribus minime contrariū, omnibusque numeris, & (vt vno verbo dicam) spiritu Augustini elaboratum. Bibant è christallo huius fontis solum, qui huius sapientiæ salutaris aquam degustantis iudicent, ac approbent, sed proh dolor! *Quid nam prius iudicant* (ait Bernard. epist. 192.) *& postea probant, ego de potione vtrū dulcis sit, an amara ante gustū non iudicabo.* Vere dulcis, ac salutifera est hæc doctrina. Sed cum censoris personā agam, diutius, vt vellem, si fas esset immorari non licet. Ita de opere, ita de operis authore sentio, qua propter communi vtilitati fore existimo si prælo mandetur. Compluti in hoc Regali Collegio S.P.N. Augustini 14. Decembris 1682.

Fr. Franciscus Emanuel de Zuñiga. LI-

LICENTIA RELIGIONIS.

M Ag. F. Petrus de Ortega Rector Prouincialis in Prouincia Castellæ Ordinis Eremitarum S. P. N. Augustini, Visa censura P. M. F. Fracisci Emanuelis de Zuñiga facultatem facimus P. M. Fr. Francisco de Sequeiros imprimendi tractatum cuius est inscriptio, *Eurythimia Pontificalis. &c.* Datum Aulæ die 20. Mensis Decembris anno Domini 1682.

Fr. Petrus de Ortega.
Rect. Prou.

De mandato P. N. Prou.
Fr. Ioannes Sanchez de Villegas, Sec.

Cẽsura D. Dr. D. Francisci de Cãpuzano, Celeberrimi Theologorum Collegij alumni, Ecclesiæ Magistralis SS Iusti & Pastoris Canonici, Primariæ S. Thomæ Supremæque Cathedræ Theologiæ meritissimi Regentis, &c.

EX remissione D. Doctoris D Ildephonsi Martinez Abad, Scholaris in S. Ecclesia Magistrali Complutensi SS. Iusti, & Pastoris, & totius Archiepiscopatus Vicarij Generalis, Legi primo omni qua potui diligentia, & secundo summa, qua gaudeo admiratione, reuidi *Eurythimiam Pontificalem aduersus Euroclydam Cleri Gallicani de Ecclesiastica Potestate declarationem, simulque Dissertationem quandam Canonicam, super cap. Vnam sanctam de maiorit. & obedient.* inquirentem vtrum Summus Pontifex, omnibus, & in omnibus, siue spiritualibus, siue temporalibus dominetur. Authore Reuerendissimo P. M. F. Francisco Sequeyros, Concionatore Regio, & in hoc Scientiarum Emporio Vespertinæ Cathedræ meritissimo moderatore. Assumptum sane dignũ Sanctissimæ Sedis obsequentissimo filio, & nostræ Vniuersitatis Magistro celeberrimo: illud probat tot Scripturæ testimonijs; tot Sanctorum Patrum Authoritatibus; tot vtriusque Iuris decissionibus, & tot denique rationum monumentis, vt nihil intactum relinquat, sed omnia mirifice tractet, & omnibus vndequaque scaturientibus difficultatibus ad satietatem ocurrat: Immo adhuc ipsis contrariorũ argumentis vtitur, vt illustrior appareat

trium-

triumphus proprijs armis parta victoria: nullum igitur relinquit aduersarijs effugium; nisi forte, vt hæreticis est commune, deficiente ratione, ad conuicia, & innaniū verborum contentionem confugiant. Nihil desiderari potest, quod in hoc opere non resplendeat: elucet enim in eo eruditio, claritas, ingenium, & ideæ pulchra diuisio: omnia prædicant, non solum Authoris admirabilem scientiam, sed nostræ Fidei ardentissimum zelum, & Summi Pontificis reuerentiam profundam. Quare censeo dignissimum esse, vt prodeat in lucem, sperans, quod illius inspectis radijs, nouatorum, & hæreticorum nebulæ omnino euanescant. Datis Compluti die 13. Februarij Anno 1683.

Dr. D. Franciscus Campuzano.

Licencia del Ordinario.

NOS el Dr D. Alonso Martinez Abad, Dignidad de Maestre Escuela en la S. Iglesia Magistral de S. Iusto, y Pastor de esta Villa de Alcalà de Henares, y Vicario General en la Audiencia, y Corte Arçobispal desta Villa, y en todo el Arçobispado de Toledo, &c. Por la presente, y por lo que à Nos toca damos licencia, para que se pueda imprimir, è imprima vn libro que ha compuesto el Reuerendissimo P. M. Fr. Francisco de Sequeyros, y Sotomayor del Orden de N. P. S. Agustin, y Cathedratico de Visperas de Theologia de la Vniuersidad desta Villa, que se Intitula, *Eurythimia Pontificalis, &c. Canonica dissertatio super Cap. vnam, &c.* Esto atento a que por nuestro mandado ha sido visto, y examinado, y consta no auerse hallado en el cosa alguna contra N. S. Fè Catholica, y buenas costumbres. Dada en Alcala de Henares en 16. de Febrero de 1683.

Dr. D. Alonso Martinez Abad

Por mandado del Señor Vicario Gl.

Custodio Valentin. Not.

APRO

APPROBATIO ILL. AC EXCEL. PRINCIPIS D. D. *Francisci de Borja, & Centellas Maioris Ildefonsiani Musæi Togati, S. Ecclesiæ Toletanæ Hispaniarum Primatis Canonici, & Dignitatis, Archidiaconi Calatrauensis, Vniuersitatis Complutensis iam dudum Institutarum Cathedræ Meritissimi Regentis, nunc vero Decretalium Cathedræ Publici Professoris, &c.*

EX Delegatione Ill. D. D. D. Gundisalui Pandiello huius Almæ Vniuersitatis Complutensis, Maiorisque D. Ildefonsi Collegij Rectoris legendum suscepi librum, cui Inscriptio: *Eurythimia Põtificalis aduersus Euroclydam Cleri Gallicani declarationem de Ecclesiastica Potestate, simulque Canonica dissertatio super cap. Vnam Sanctam, &c.* Author autem R. P. M. Fr. Frãciscus de Sequeyros, & Sotomayor, &c. Opus sane Catholicis Hispanorum animis iucundum, & obstinatis Gallicani Cleri versutijs necessarium. His elucubrationibus in lucem prodeuntibus protinus, quæ subtilitatis solo splendore tegebantur, solidæ doctrinæ deposito fallaci indumento tenebrosæ imagines apparebunt. In hac Eurythimia sapiens Iob eloquium vociferatur, dumque in edicta impia invehitur, & statuta præter fas decernentes Gallos Sacerdotes increpat, illos ostendit *Fabricatores mendatij, & cultores perversorum dogmatum.* Hæc Regnum infidelitatis erumnis miserrimum ad Catholicam prosperitatem, & Romanæ Ecclesiæ ritum allicere tentans. Benigne veluti fatidica Sybila adhortatur, illiusque diuina verba vsurpans scitè disquirit: *Iob c. 13 vers. 4.*

Quis tibi in mentem dolorem
Imposuit, & hæc perficias Magni Dei ore relicto?

Apud Lactãt. lib. 1. diuin. vest. cap. 15.

Ne circa Summi Romani Pontificis Apostolicam, & venerandam Potestatem crescant errores, qui dum in Gallicano solo radices agunt, ad contigua nostra prædia ramos extendant, hæc docta Eurythimia veritatis falce illorum proceritatem luxuriantem resecat, nam iuxta Plinium *Quemadmodum luna præcipuè mouet inferiora, non quod efficacior, sed quia proprior, ita multum habet momenti ad res conficiendas vicinitas.* Præterea pio labore, verborũq; pondere, & maiestate detestatur impura flagitia, ne cul- *Lib. 18. natur. histor. c. 15*

pabili silentio Christiana ratio simili videatur acquiescere insaniæ, aut superata occumbere, si quidem, *Error, cui non resistitur, approbatur, & virtus, cum minime deffensatur, opprimitur.* Iuris tum Canonici, tum Ciuilis disciplinam ita tractat ad Catholicas theses fulciendas, & hæreticas insectandas, vt quidquid Pontificum oracula, Conciliorum statuta, Cæsarum rescripta, Iure Consultorum responsa, ratione, aut diuina, aut naturali dispenunt, studiosa meditatione exquirat, ac opportuno iudicio interpretetur. Dum illos egregie obiurgat, qui vt temporali maiestati adulationis sacrificium instaurent, reuerentiam minuunt, immo & sordescētem reddunt, quæ sublimiori Apostolicæ potestati tenentur obedire, quid nisi Consularis Portij Catonis oratio ad disuadendos superstitiosos Romanorum mores composita attenditur, de qua ita Livius; *Hac vos religione innumerabilia decreta Pontificũ, Senatus Consulta, Aruspicom denique responsa liberant:* Quoties hoc Patrum avorumque ætate negotium est Magistraribus datum, vt Sacra externa fieri vetarent? Sacrificulosque, vatesque foro, circo, vrbe prohiberent? Vaticinios libros conquirerent, comburerentque? Omnem disciplinam sacrificandi, præterquam more Romano abolerent? Hoc perito remige lembus fidei tumentes Hæresiarcarum procellas veluti placatum pelagus nauigat. Dexter hic miles ad litterariam præcinctus pugnam, splēdentisque ingenij mucronem acuens, in squalida, armataque figit Sectariorum pectora. Nil in hac Eurythimia studij clauditur, quod Catholicæ fidei præceptis non respondeat, & Authoris Scholasticos præclaros mores, non ostēdat, adeò, vt ingentis virtutis ardore, ac omni litterarum peritia insignis de se valeat fidenter dicere cum Ouidio.

Cap. Error 3. 83. dist. — *Lib. 39. ab Vrbe condita.* — *Lib. 3. de Ponto epist. 4.*

Ista Dei vox est: Deus est in pectore nostro:
Hac duce prædico, vaticinorque Deo.

Sic voveo, sic censeo in hoc Maiori D. Ildefonsi Collegio Vniuersitate Complutensi Kalendis Februarij Anno Domini 1683.

D. Franciscus de Borja, & Centellas.

Fa-

Facultas Ill. D. Rectoris Vniuersitatis Complutensis.

NOs D.D. Gundisaluus Lopez Pandiello, Rector Maioris D. Ildefonsi Collegij, Vniuersitatisque Complutensis, &c. Facultatem concedimus, vt hoc opus de Potestate Pontificia aduersus Cleri Gallicani declarationem à RR. P. Doctore Fr. Francisco de Sequeiros, huius nostræ Vniuersitatis Sacræ Theologiæ Vespertino Professore compositum, grauium Doctorum iudicio approbatum, typis mandetur. Compluti 8. de Februarij anni Domini 1683.

D. Gundisaluus Lopez Pandiello.
Rector,
De Mandato Dñi Rectoris.
D. Stephanus de Villamayor, y Atienza, Sec.

Approbatio RR. P. M. Francisci Vazquez Societatis Iesu in Vniuersitate Complutensi Sacræ Theologiæ Primariæ Cathedræ Regentis, &c.

DE mandato Supremi Senatus Regij Castellæ diligenter euolvi opus Theologicum simul, & Canonicum, cui titulus est *Eurythimia Pontificalis aduersus Euroclydam Cleri Gallicani de Ecclesiastica Potestate declarationem, simulque Canonica dissertatio super Cap. Vnam Sanctam de Maiorit. & obedient.* Elaboratum à Reuerendissimo, Pariterque Sapientissimo *P. M.* Fr. Francisco Sequeyros, & Sotomayor, Magni Parentis Augustini Religione, & Doctrina filio, Sacræ Theologiæ Doctore, & in Complutensi celeberrima Academia Vespertinæ Cathedræ magna cum laude Moderatore. In quo non solum Sacræ Paginæ, Fidei, & bonis moribus omnia Religiose consonant, verum etiam tanti Magistri late, elucet sapientia è Summorum Pontificum decretis, ex Conciliorum definitionibus, atque ex Sanctorum Patrũ doctrinis tanquam è fontibus, & thesauris diligenti studio hausta, & effossa. Elucet etiam veritatis zelus in defensionem Sedis Apostolicæ contra Regiæ Maiestatis adulatores, imitatus Parentem Augustinum, qui sæpè pro eadem causa strenuè decertauit, & vicit, sequutusque illius con-

Lib,2.de Anima c. 17.

Admoni. ad Nepotianum cõtrou.7

In Catena D.Th.

consilium. *Absit à manibus* ; *atque oculis tuis assentatio indecens adulantis, & deceptoria lenitudo blandientis*: ingenuè veritatem tuetur. Periculosa res est, fateor, ijs temporibus ista tractare, nam vt aiebat Eminentissimus Bellarminus: *Ecclesiastica libertas videtur hoc tempore esse lapis offensionis, & Petra scandali, & valde difficile est sic eam defendere, vt Principum indignationem non incurramus, vel sic eam negligere, vt nõ incurramus in offensionẽ Dei, & eius Vicarij*. Veram in re adeò difficili, ea vtitur prudentia per doctus Magister, quam Dominus discipulis suis commendat serpentis exemplo, Matth.10. *Cuius astutia*, inquit Hieronymus, *ponitur in exemplum, quia toto corpore occultat caput, vt illud, in quo vita est, protegat: Ita & nos toto periculo corporis caput nostrum, quod Christus est* (addam & eius Vicarius) *custodiamus*. Quam ob rem opus hoc dignum existimo, vt in publicam lucem ad communem vtilitatem, atque eruditionẽ prodeat. Compluti die 17. Aprilis Anno Domini 1683.

Franciscus Vazquez.

Suma de la Licencia.

LOs Señores del Real Consejo, dieron licencia al P. M. Fr. Francisco de Sequeyros, para que pueda imprimir este libro, como consta del testimonio que dio Miguel de Moxica Escriuano de Camara del Rey nuestro Señor, Dado en Madrid a 4. de Mayo de 1683.

ERRA-

ERRATAS

IN Eurythimia fol. 1. lin. 5. *refferre*, corrige, referre, & l. 6. & 3. *Clerici*, c. Cleri, f. 2. l. 25. *confirmata*, c. confir mata, f. 11. l. 25. *equa*, c. æqua, f. 18. l. 2. *erupuerunt*, c. eruperunt, & l. 3. *Rectores*. c. Rethotes, & l. 31. *ffici*, c. affici, f. 20. l. 6. *Bertrandi*, c. Beltrandi, f. 24. l. 7. *consulto*, c. consulto. f. 27. l. 21. *symbolo*. c. Synodo. fol. 29. lin. 25. *gentium*. c. prudentium. fol. 38. l. 2. *persecta*. c. perfecta. f. 41. l. 22. *equum*, c. æquum. f. 44. l. 8. *coartatam*, c. coarctatam, & l. 10. *incongruit*, c. incongruit. f. 45. l. 25. *Henorium*, c. Honorium, f. 52. l. 2. *deo*, c. de eo. f. 58. l. 9. *ira*, c. ita, & l. 12. *diuinatis*, c. diuinitatis. f. 64. l. 13. *diligentem*, c. diligentiorem, f. 65, l. 4. *tencatur*, c. nō tencatur.. f. 89. l. 20. *Canonication*. c. Canonizationis. f. 112. l. 24. *Authoritata*. c. authoritate. f. 113. l. 1. *elebatur*. c. eleuatur. & l. 31. . . c. ?. f. 116. l. 17. *ab*. c. ab. f. 118. l. 23. *Ecclesia*, c. Ecclesiam.

In Desertat. Can. fol. 2. linea 12. & 30. *Acadæmico*, corrige, Academico, & linea 25. *coptata*, c. coaptata, f. 3. l. 1. *accinti*, c. accincti. & l. 5. *indeuite*. c. indebite. f. 4. l. 19. *desperdas*. c. disperdas, & l. 30. *glaudium*, c. gladium. f. 6. l. 29. *disert*. adde 1. l. 8. *Si in eum*, c. si eum, &. f. 8. l. 18. *meam*, c. mecum, f. 10. l. vlt. *ad verum*, c. cum ad verum, f. 16. l. 21. *vaculo*. c. baculo. f. 18. l. 10. *pleberum*, c. plebeium, & l. 21. *scriuit*. c. scribit. f. 22. l. 5. *contingerit*, c. contigerit & l. 21. *Publem*. c. Problem. & l. 22. *fære*, c. fere, hic & vbicumque inueniatur. f. 24. l. 24. *obserbat*, c. obseruat. f. 25. l. 3. *tum honeri humeros submiśit*. c. tunc oneri humeros submisit, & l. 5. *insulam*. c. infulam, & l. 13. *funtus*. c functus. f. 26. l. 9. *celulla*, c. cellula, & l. 18. *uon*. c, non. f. 27. l. 4. *feeit*. c. fecit. & l. 9. & 30. *traddidit*. c. tradidit, idem f. 32. l. 27. f. 30. l. 24. *er*. c. &. fol. 31. l. 12. *Michaele Mauclem*. c. Michaelem Maucler. & l. 27. *&* . c. de . fol. 32. lin. 12. *indicio*, c. iudicio. f. 33. l. 3. *Theologicantes*, c. Theologizantes & l. 14. *dilibuta*, c. delibuta. f. 34. l. 2. *iura*, c. iure, & l. 25. *ereis*, c. æreis. & l. 26. *eornm*, c. eorum, & l. 17. *reffert*. c. refert, hic, & vbicumque inueniatur, f. 35. l. 7. *Minus*, c. minus, & l. 16. *doptiuus*, c. adoptiuus. f. 36. l. 1. *tum*, c. tunc. f. 37. l. 2. *Iurisperitij*, c. iurisperiti, & l. 17. *est*, c. es. f. 38. *supræmo*, c. supremo, & l. 18. *qua* c. quia, f. 41. *temporale*, c. temporalem, f. 46. l. 21. *sdem*. c. idem. f. 47. *dedegere*. c. degere, f. 48. l. 3. *edificauit*, c. ædificauit. f. 49. l. 25. *Estuardæ*,

c.

c. Anglicæ. f. 50. l. 29. *aßtrin*. c. adstrin. f. 51. l. 4. *asſencior*, c. aſſentior. & l. 30. *cordere*, c. corde. f. 52. l. 28. *inebr.* c. inebri. f. 54. *reſcidendum*, c. reſcindendum. & l. 18. *in.* c. in. f. 55. l. vlt. *per*, c. per. f. 56. l. 26. *Chriſto*, c. Chriſti, f. 57. l. 28. *ſanſiuit*, c. ſanciuit. f. 61. l. 26. *inſpeto*, c. inſpecto, & l. 29. *iuimico*, c. inimico. f. 62. l. 21. *olfatu*, c. olfactu. f. 63. l. 16. *ſæculare*, c. ſæcularem, & l. 24. *liquef.* c. liquef. f. 64. l. 13 *iniuſtitiam*, c. iniuſtitia. f. 65. l. 24. *agnocetis*, c. agnoſcetis, f. 66. l. 12. *propeij*. c. propriſsime. f. 68. *meriti*, c. meriti. f. 69. l. 20. *qui*. c. que. & ibi *dominum*, c. dominium. f. 71. l. 18 *miſtici*, c. miſticum, f. 72. l. 19 *tum*, c. tunc. f. 73 l. 19. *ſui*, c. ſuos. f. 74. l. 25 *ſit*, c. ſit. f. 76. l. 9. *compelit*. c. compellit, & l. 16. *prætor*, c. cum prætor, f. 77. l. 1. *ſibi*, c. ſibi. f. 78. l. 7. *nos nos*. c. non nos. f. 83. l. 12. *hæc*, c. hac. fol. 84. lin. 14. velet. c. *vellet*, f. 87. l. 8. *crucifixen*, c. crucifigen. fol 92. l. 4. *ſuper*, c. ſuper f. 93. l. 11. *abſcri*, c. abſcrib. & lin. 28. *Beati*, c. Venerabilis. f. 95. l. 12. *diſputaret*, c. diſputare, & l. 26. *libelis*, c. libellis. & lin. 19. *more*, adde 8. & lin. 26. *Val.* c. Bal. fol. 102. lin. 8. *toller*, c. tollere, fol. 106, lin. 26. *conſuetudinere*, c. conſuetudine, & *teneri*, c. tenere. f. 107. l. 22. *impedititui*, c. impedituri, fol. 108. c. 26. c. 29. & l. 27. *offerebam*, c. aufferebam, & l. 30. *opra*, c. cpre, idem f. 109. l. 21. f. 109. l. 17. *ſibi*, c. ſiue, & l. 21 *protegete*, c. protegere. f. 111. l. 24. *euelenti*, c. euellenti. f. 114. l. 18 *conformatas*, c. conformitas, & l. 28. *iuuentem*. c. iubentem.

Hic liber cui inſcriptio Eurythimia Pontificalis, &c. demptis, ſeu correctis his mendis ſuo exemplari reſpondet. Matriti 4. Maij Anno 1683.

D. Franciſcus Murcia de la Llana.

Corrector Generalis à Catholica Maieſtate impoſitus.

Hic liber inſcriptus Eurythimia Pontificalis demptis his erratis reſpondet ſuo originali. Datum Compluti Poſtridie Kal. Maias Anno Domini 1683.

Dr D. Petrus de Contreras, Primarius Eloquentiæ Profeſſor, & Vniuerſitatis Corrector.

SVMA DE LA TASSA.

TAſſaron los Señores del Conſejo eſte Libro à ſeis marauedis cada pliego, como conſta del teſtimonio que dio Miguel de Moxica Eſcriuano de Camara de ſu Mageſtad.

SCRI

SCRIBENDI RATIO, ET Canonicé tractandi materiam istam occasio.

NOnis Iulij ad manus nostrás sub nomine declarationis peruenit misera deplorabilisque obcæcatio Cleri Gallicani Parisijs, die nona Martij, anno 1682. promulgata, quam ad vnguem refferre necesse existimaui, ne videatur me fingere hostem, quem feriam. Ita est. *Cleri Gallicani de Ecclesiastica Potestate declaratio. Ecclesiæ Gallicanæ Decreta, & libertates à maioribus nostris tanto studio propugnatas, eorumque fundamenta Sacris Canonibus, & Patrum traditione nixa multi diruere moliuntur, nec desunt, qui earum obtentu Primatum B. Petri, eiusque Successorum Romanorum Pontificum à Christo institutum, ijsque debitam ab omnibus Christianis obedientiam, Sedisque Apostolicæ, in qua Fides Prædicatur, & vnitas seruatur Ecclesiæ, reuerendam omnibus gentibus maiestatem imminuere non verecantur Hæretici quoque nihil prætermittunt, quo eam Potestatem, qua pax Ecclesiæ continetur, inuidiosam, & grauem Regibus, & Populis ostentent, ijsque fraudibus simplices animas ab Ecclesiæ Matris, Christique adeò communione dissocient; quæ vt incommoda propulsemus, Nos Archiepiscopi, & Episcopi Parisijs, mandato Regio congregati, Ecclesiam Gallicanam repræsentantes, vna cum cæteris Ecclesiasticis viris nobiscum deputatis, diligenti tractatu habito, hæc sātiēda, & declarāda esse duximus.*

Primum B. Petro, eiusque Successoribus Christi Vicarijs, ipsique Ecclesiæ rerum spiritualium, & ad salutem æternam pertinentium, non autem Ciuilium, ac Temporalium à Deo traditam Potestatem, dicente Domino: Regnum meum non est de hoc mundo *: Et iterum,* Reddite ergo, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, quæ sunt Dei, Deo. *Ac proinde stare Apostolicum illud:* omnis anima Potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim Potestas, nisi à Deo. Quæ autem sunt à Deo, ordinata sunt: itaq, qui Potestati resistit, Dei ordinationi resistit: *Reges ergo, & Principes in temporalibus nulli Ecclesiasticæ potestati Dei ordinatione subijci, nec authoritate clauium Ecclesiæ directe, nec indirecte deponi, aut illorum subditos, eximi à fide, atque obedientia, ac præstito fidelitatis iuramento solui posse, eamque sententiam publicæ tranquillati necessariã, nec minus Ecclesiæ, quam Imperio vtilem, vt verbo Dei, Patrum tradditioni, & Sanctorum exemplis consonã, omnino retinendam.*

Secundum: sic autem inesse Apostolicæ Sedi, ac Petri Successoribus Christi Vicarijs rerum spiritualium plenam Potestatem, vt simul valeant, atque immota consistant Sanctæ OEcumenicæ Synodi Constantiensis à Sede Apostolica comprobata, ipsoque Romanorum Pontificum, ac totius Ecclesiæ vsu confirmata, atque ab Ecclesia Gallicana perpetua Religione custodita decreta de Authoritate Conciliorum Generalium, quæ Sess. 4. & 5. continentur, nec probari ab Ecclesia Gallicana, qui eorum decretorum, quasi dubiæ sint authoritatis, ac minus approbata, robur infringant, aut ad solum Schismatis tempus Concilij dicta detorqueant.

Ter-

Tertium. Hinc Apostolicæ Potestatis vsum moderandũ per Canones Spiritu Dei conditos, & totius mũdi reuerentia consecratos, valere etiam regulas, mores, & instituta à Regno, & Ecclesia Gallicana recepta, Patrumque terminos manere inconcussos, atque id pertinere ad amplitudinem Apostolicæ Sedis, vt statuta & consuetudines tantæ Sedis, & Ecclesiarum confessione firmata, propriam stabilitatem obtineant.

Quartum. In Fidei quoque quæstionibus præcipuas Summi Pontificis esse partes, eiusque Decreta ad omnes, & singulas Ecclesias pertinere, nec tamen irreformabile esse Iudiciũ, nisi Ecclesiæ consensus accesserit.

Quæ accepta à Patribus ad omnes Ecclesias Gallicanas, atque Episcopos, ijs Spiritu Sancto authore præsidentes, mittenda decreuimus, vt id ipsum dicamus omnes, simusque in eodem sensu, & in eadem sententia.

Subscriptiones consulto non appono, ne futura sæcula vereantur eorum aliquem fuisse Ecclesiæ vestibus Pastorem, & ovium Dei operibus lupum, vt de Impio Marco Antonio de Dominis, qui ex Archiepiscopo Spalathensi factus est fœdus à Fide Apostata, ex cuius vermibus hæreticalibus scatenti sentina omnes istæ nouellæ, & schismaticæ sanctiones ortum ducunt, dicebat Herincx; & ne debito rubore enormiter subscribentes Andabatarum more confligant, dum nimirum clausis fidei, & rationis oculis pugnantes Ecclesiam vulnerant, sed quo modo semetipsos ab animæ vulneribus tueantur, ignorant. Malo ergo nomina tacere, quam quod ferarum sæuitia excæcati, in vltimum infœlicitatis malum desperati tradantur: hac igitur silentiosa

confusione conuertantur, & erubescant valde velociter.

Licet Gallia sit opinionum ferax propter facilem Gentis genium, & omnibus ætatibus opinandi libidinem, tamen hoc decretum imposturam existimarem: quia velle huius Pontificiæ Potestatis tam vetustæ radicem avellere, & vsum eius tot annis inueteratum, tot Pontificum, & Sanctorum authoritatibus fulcitum, tot argumentis corroboratum tollere, & iniustitiæ insimulare, est contra totam Ecclesiam, Orbemque pugnare. Statim tamen memoriæ occurrit, quod in D. Petro Damiano opusc. 4. legeram: *Ecce compellis me*, inquit, *vulgato sermone depromere, quod ob Imperialis Palatij reuerentiam decreueram silentio præterire, sed iuxta vestræ scilicet exactionis instantiam, iàm proferatur in medium opus egregium vestrum, sæculis omnibus inauditum. Rectores enim aulæ Regiæ cum nonnullis Teutonici Regni Sanctis, vt ita loquar, Episcopis, conspirantes contra Romanam Ecclesiam, Concilium collegistis, quo Papam quasi per Synodalem sententiam condemnastis, & omnia, quæ ab eo fuerant statuta, cassare incredibili prorsus audatia præsumpsistis; in quo nimirum non dicam Iuditio, sed præiuditio, &c.*

Statim etiam memini, quod in Bibliotecha Alphonsiana huius Maioris Orbis Musæi legeram originalia articulorum Concilij Gallicani in Ciuitate Turonensi, in Palatio Metropolitano die 15. Septembris anno 1510. cuius conclusio fideliter translata ita est. *Concludit præfata vniuersalis congregatio propter nonnullas rationabiles, & vrgentes causas propositas*

positas in dicta Congregatione, & maxime propter oppræsiones, & indebitas exactiones, quæ fiunt in Curia Romana dictæ Ecclesiæ Gallicanæ, videlicet in annatis, minutis seruitijs, expeditionibus Bullarum vltra debitum, & solitum modum, & plura alia grauamina, quibus nulla prouisio adhibetur per Sanctissimum Dominũ nostrum, nec eius Officiarios; & quod deterius est, nulli licet liberè de huiusmodi grauaminibus querelam facere in dicta Curia Romana sine metu cadente in constantem virum, & quasi in omnibus, ita est oppræssa dicta Ecclesia Gallicana: vt nunquam antea legatur, aut memoria existat per Prædecessores Summos Pontifices similia grauamina facta fuisse. Et insuper præfatus Sanctissimus Dominus noster, quamuis Christianissimus Rex Frãciæ modernus de ipso Sanctissimo Domino nostro, ac Ecclesia Romana sit benemeritus, propter quam plurima obsequia eidem Ecclesiæ Romanæ, & Sanctissimo Domino nostro impensa, tam in recuperatione terrarum, Dominiorum, Ciuitatum spectantium Ecclesiæ Romanæ, & expulsione Tyranorum, & iniquorum possessorum dictarum terrarum, & dominiorum, & alijs quamplurimis modis, multa ingentia beneficia eidem Sanctissimo Domino nostro in omni suo Statu, tam ipso existente in minoribus, quam etiam ad Summum Pontificatum promoto contulerit, prout notorium in omnibus existit. Nihilominus idem Sanctissimus D. noster immemor tantorũ beneficiorum (quod salua pace suæ Sanctitatis dictum habeatur, & cum omni illa reuerentia, qua decet) sine rationabili causa, aut occasione debita bellum grauissimum eidem Maiestati Christianissimæ Maritimum, & Terrestre intulit, terras, & Dominia præfatæ Maiesta-

ti subiecta per suos armigeros, fautores, & quos potuit inuadendo, & depradando, amicitias, & fœdera contra ipsum Christianissimum, cum inimicis ipsius Regiæ Maiestatis contrahendo colligationes, coniurationes contra ipsum Regem, & omnes suos status pro posse faciendo, non solum in Italia, sed apud omnes Principes, & Potestatus Christianorum, adeo vt ipsi Christianissimo Regi, & suis subditis inimicitias grauissimas notorie ostendat. Quapropter, & multa alia, quæ pagina præsens continere non potest, concludit præfata congregatio Ecclesiæ Gallicanæ, cum beneplacito præfati Christianissimi Regis, oratores destinandos ad ipsum Sanctissimum Dominum nostrum Iulium Secundum Papam modernum, & Reuerendissimos Dominos Cardinales, qui cum illa debita reuerentia, qua decet, supplicent, & instanter petant nomine præfati Christianissimi Regis, & Ecclesiæ Gallicanæ ab eodem Sanctissimo Domino nostro, & Reuerendissimis Dominis Cardinalibus, si opus fuerit, vt velit sua Sanctitas congregare Concilium Generale Ecclesiæ in loco tuto, & conuenienti, conformiter ad determinationes, & conclusiones vltimorum Conciliorum Generaliũ, quatenus fieri poterit: Idemque procuret Christianissimus Rex apud Sacratissimum Imperatorem, & alios Reges, & Principes Christianos, vt sibi adsint, opem, & auxilium ferant pro eodem Concilio Generali dictæ Ecclesiæ congregando ad reformationem Ecclesiæ Vniuersalis in Capite, & in membris. Et supplicetur eidem Sanctissimo Domino nostro nomine ipsius Christianissimi Regis, & prædictæ Ecclesiæ Gallicanæ, vt interim pendente dicta Congregatione Concilij Generalis, & durantibus, quæ nunc sunt inter ipsum Sanctissimum Dominum nostrum,

strum, & eundem Christianissimum Regem, suosque subditos det pœnitentiarium in Regno Franciæ, Terris, & Dominiis eidem Regi subiectis, cum Potestate dispensandi in omnibus casibus, absolutionibus, ab excommunicationibus, irregularitatibus, & aliis Censuris, intimationibus, & dispensationibus in gradibus consanguinitatis, & affinitatis, & vniuersaliter cum plenaria potestate prouidendi in omnibus casibus concernentibus forum pœnitentum, & salutem animarum. Et casu quo idem Sanctissimus Dominus noster recusaret congregare Conciliũ Generale, vel minus differret, aut locum tutum non assignaret, vel recussaret pœnitentiarium deputari cum prædictis facultatibus, fiat protestatio expræssa nominibus Christianissimi Regis, & Ecclesiæ Gallicanæ contra præfatum Sanctissimum Dominum nostrum, & Reuerendissimos Dominos Cardinales de recurrendo ad omnia Iuris remedia.

Vt nullus ambiguitatis nævus in nostra mente remaneret, & nulla cor nostrum super hoc negotio deinceps caligo confunderet, à viris probè fidedignis quæsiui, an hæc nouella exemplo antiquarũ fuerit nunc in Gallia excitata? Concordi omnium affirmationi assensum præbui: quot infirmitatis cura tunc aflictus, quot cogitationum stimulis tædiatus, quot denique suspiria ex imis visceribus pro Gallorum salute traxerim, facunda etiã lingua explicare non valet: ex tunc in animo proposui publicè legere Theologiam Põtificalem, vbi antiquæ, & modernæ Francorum dissolutiones contra Papã vsque ad facietatem impugnatæ reperientur: veritatis vis est, non Doctoris. Pulchrè Cicero in Orat.

in vatin,& non minus eleganter in orat. pro Cœlio dicens: *O Magna vis veritatis, quæ contra hominum ingenia, calliditatem, solertiam, contraque ficta hominũ insidias facile se per se ipsa deffendit.* Qua propter trique. apoph. 48. eam recte Soli similem adstruit, qui quemadmodum à Nubibus sæpe intercipitur, sed nunquam Nubibus suffocatur; ita veritas aliquando laborare potest, extingui vero nunquam. Nolite ergo Galli nouatores huic luci, & veritati resistere, nolite Matrem vestram crudeliter impugnare, sed ex cuius vberibus lac suxistis Apostolicæ Fidei, eius semper gaudete solidis doctrinæ cœlestis dapibus recreari.

Dum hæc executioni mandabam, vir mihi venerandus Iurisperitus in colloquio Scholasticam Theologiam in his materijs parui pendendo, temerè dixit: Theologi istas quæstiones terminis cludunt, & vocibus explicant, dum ad temporalia Principum Potestatem Põtificiam se extendere indirecte, non vero directe, constanter adstruunt; & pro coronide veritatem huius controuersiæ canonicè solum tractari posse, & non à Theologis: fateor tunc temporis ex Iuris Canonici Expositoribus, me solũ vidisse Palacium Rub. Solorzanum, Morlam, & in tom. 13. DD. Beatum Ioannem Capistran. licet ex Theologis præter SS. DD. in promptu haberem Augustinum de Ancona, Ægidium Roman. Bellarmin. Suarez, Franciscum à S. Augustino, Macedo, Caietanum, Turrecrematam, Gerson, Petrum de Aliaco, Iacobum Almain, & Ioannem Maiorem. Hac tamen occasione in alijs Authoribus videndis tem-

tempus aliquod sine fructu consumpsi, cum fere id ipsum alijs vocibus repetitum inuenisse, fateri necesse sit; quia tamen veritatis facies pulchra se ipsa resplendet, & vagantes tenebræ luce quacumque fugantur, ideo hanc Canonice pertractare quæstionẽ non recussaui, illius lucem meridianam in sinu tractatus Theologici reprimens.

Assumptum non hæret curiosis speculationũ ambagibus, nec solicitat vanum subtilitatum ostentationem, nec in nouitatibus ad inueniendis turgescit, sed solidum fundamentum Potestatis Ecclesiæ Iuribus, & DD. consolidare intendit: proprium est filij Augustini P. tanquam columnæ nubis, & ignis in Ecclesia renouatæ, vt mundi vortices fœliciter transeamus; ipse enim contra epistolam fundamenti ait: *In Ecclesia me tenet ab ipsa Sede Petri, cui Dominus oves suas pascendas commisit, vsque ad præsentem Episcopatum Sacerdotum successio.* Et ibidem, *Euangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ moueret authoritas.* Et lib. de vtilitate credend. ad Honorat: *Non est dubitandum illius Ecclesiæ nos condere gremio, quæ ab Apostolica Sede per Successiones Episcoporum culmen authoritatis obtinuit; cui nolle primitias dare, vel summæ profecto impietatis est, vel præcipitis arrogantiæ.* Eius Iudicio, & diffinitiuæ sententiæ standum esse docet contra Arianos, Donatistas, Pelagianos, cęterosque hæreticos, vt constat ex libris contra Parmen. Petil. & Cresco. Cõtra Iulianum, & Cælestinum, & etiam contra Pelagium. Pontificiæ authoritatis vindex est: pro hac pugnat aduersus Arianos, & Semiarianos, increpans eos, quod Romanum Pontificem Iu-

lium in Sardicensi Concilio proscripsissent, ac eo nomine hæreticorum Conciliabulum esse existimauit, vt videri potest lib. 3. contra Crescon. & epist. 163. Hic vnica supremæ Potestatis ratione fretus affirmat compesci hæreticos, ac everti hæreses posse, si ad huiusmodi petram allidantur, negatque, qui à Pontifice sunt damnati, à quoquam absolui, recipi ve debere, vt constat epist. 94. & 104. ad Sixtum, & lib. 1. contra secundam epist. Pelagian. Quam vero serio, quam demissè Bonifacio cum scriptis se suis, quæ idem ab eo exigebat Pontifex, subiecit? Quantoperè veneratus est Innocentij, & Zozimi authoritatem, qui ea, quibus in Africa interfuit, Concilia, ijs per supplices litteras submisit? Vt nihil à Patribus Africanis decretum, ratũ ve haberi vellet, nisi Apostolicæ Sedis calculus accessisset, vt liquet ex epist. 91. 92. & 95.

Post P. Augustinum pro Ecclesiæ firmè stabilienda potestate, præcauentes, ne lucẽ veritatis tenebrosa erroris nubes involbat, vtque ignis sine fumo appareat, viriliter dimicarunt B. Augustinus Triumphus, B. Ægidius Roman. Præclari Louanienses Henricus Lancellotus, & Christianus Lupus, pluresque alij Augustiniani, nunc vero pro huius formidabilis Hydræ expugnatione, sterile arenosi littoris aratrum manibus, immo, & mente premo, ne Galli Scriptores tanquam furentes Equi per voluptatum sententiarum suarnm campos ferantur effręnes. Respicio namque Regnum illud diuturna Iudiciorum contra Potestatem Ecclesiæ consuetudine infatuatum: ideoque plurimi contra Papam Iurgijs, & con-

ten-

tentionibus sæuiunt, vel certe occultis aduersum eũ odiorum fomitibus inardescunt, iam huius Doctrinæ Cancer, & venenosa propago ad infinita porrigitur, nisi Catholica falce statim, ac male pullulat, amputetur: error est in principijs, qui licet paruus aliquibus videatur, crescit in plurimos, & fit veluti vna Cathena tenebrarum, & ita effudit errorũ radices, vt iam firmiter sedere videatur schismatica doctrina authorizata in Cathedra pestilentiæ, pervagans corpus Ecclesiæ, nec videtur remedij locus, nisi per censuram Iudicialẽ Summi Præsulis putrida labes cum omni celeritate cauterizetur; nec audiatur male suasa dissimulatio sua lactatrix, & fautrix, quæ spem discretionis, aut pietatis in summa disipentia, & impietate mentitur. In ista iam declaratione Draco teterrimus sufflat, illic virulenta serpẽtium, non sapientum, turma de cabernis suis egressa consibilat; squamea colla illa Iustitiæ gladijs obtrũcare necesse est, cũ nec Paternalibus monitionibus, nec patienti tollerantia emendetur. Vigeat nunc iustitiæ rigor in summa Potestate, vt olim D. Petrus Damia. epist. 15. ad Alexandrum 2. his carminibus concitabat.

Sedis Apostolicæ qui vult retinere vigorem,
Æqua libret rigidæ pondera iustitiæ.
Iuris enim pariles nescit suspendere lances,
Quem fauor inflectit, spes, vel auara trahit.
Muneribus plenè cui laxant ora crumenæ,
Iustitia vacuam perdit inops animam.
Cæli Roma seras tenet, & regit Orbis hauenas;
His si plura velit, tartara sola petit.

Disputandi modo stylum, & Scholasticam methodum tanquam mihi familiarem, & ipsa consuetudine triginta, & octo annorum, quibus in Vniuersitatibus Salmantina, Compostellana, & Complutensi publicè Scholasticam Theologiam Professus, & plusquam centum generalibus disputationibus totam illam, non semel, non bis, sed bis septies in tot Doctorum, & Magistrorum conspectu deffensaui, quasi factam connaturalem omitto, & mori canonico adstrictus, plura repetitione digna repeto: nec animus est noua, & inaudita proferre, satis mihi erit, si ex bene inuentis, & doctrinis aliorú, ego meis verbis Canonico ordine fauum aliquem veritatis, instar apum, propria quadam arte compingam. qualia, qualia hæc sunt, meo nomine evulgare non erubui, quia vt inquit P. August. lib. 1. de Trinit. cap. 3. & contra mendatium cap. 6. *Optandum esse, vbi hæreses vigent, vt quicumque aliqua scribendi facultate præditi sunt, ij scribant omnes, & si non modo de rebus ijsdem scripturi sint, sed eadem etiam alijs verbis fortasse scripturi.* Expedit enim, vt hæretici intelligant in Catholicorum Castris non vnum, aut alterum esse, sed multos, qui cum eis aduersa fronte congredi audeant. Quamuis enim totam Theologiam Scholasticam proprio labore elaboratam, ferè in omnibus selectè discussam, quinque voluminibus digestam apud me retineam, & amicabili religiosæ inopiæ labore typis in publicam lucem non dederim, tanquam proprium veterani Theologi; hac tamen vrgenti occasione, vt agnoscatur, quod quo magis opprimitur Ecclesia, magis extenditur eius

eius Potestas, quo acrius quatitur, eo fortius roboratur, primas istas quæstiones Canonice dispositas præmitto, vt si contra veritatem ausus fuerit quis arma Scholastica arripere, in tractatu Theologiæ Pontificalis pacificam resistentiam, atque solutioné inueniat, vt certe meã operã perdã, breuitate consequar, vt haud magnam Lectores iacturam temporis faciant.

EV-

EVRYTHIMIA PONTIFICALIS,

SIVE RECTVM IVDICIVM declarationis Cleri Gallicani, de Ecclesiastica Potestate.

SECTIO I.

Fundamenta, quibus nititur declaratio, euelluntur.

Num. 1. DVO fundamenta, vt occasionem declaratio præfert. Pro primo proponit libertates Ecclesiæ Gallicanæ tanto conatu obseruatas, quin consulto aduertat posse Summum Pontificem dissolutiones, sub titulo priuilegij, de medio tollere, statuta etiam olim ab ipsis veneranda, nunc erroris aspergine fœdata suis rescriptis declarare; famelicum namque nostræ humilitatis stomachum pro temporum varietate diuersis Iuris Canonici dapibus satiari opus est. Deinde, quia libertates, & priuilegia illa dubia sunt, vt historiarum latitudinem tanquam Cœli faciem curioso perlustranti intuitu constabit. Et expresse deciditur à Clemente III. in cap. *Capellanus de ferijs* posse Summum Pontificem in dubijs opinionibus declarare, quæ sit sequenda, & maxime cum non solum verbis, sed factis declarat. *L. de Quibus.* vers. *Quid enim inter est. D. de Legibus, L. Paulum, D. Rem ratam haberi.* Semper præsumere debet Ecclesia Ga-

Gallicana Papæ sententias,& declarationes esse iustas,& legitimè,atque Canonice promulgatas,vt dicit tex.in cap. *Cum inter vos, §. finali de sentent. & re Iudic.* cap. *Absit* 11.q.3.quia Papa est fons Iustitiæ,vt probat Clement.vnica de *Probat.* Gloss.in *L. Relegati,* verbo *Reliqua* de pœnis,& quia Papæ conuenit summa perfectio,& sapientia, vt recte probat Card. Paleotus in tractatu de Sacro Consistorio p.2. q.2.pag.59.

2 Pro secundo fundamento assumit præfata declaratio,quod hæretici hanc Potestatem Papę ostentant Regibus,& Populis onerosam: fateor si hoc hæreticali fundamento mouetur,debere etiam dicere Papam non habere Potestatem spiritualem circa Reges,& Populos,quia hoc intendit hæreticorum figmentum. Tenentur ergo Christiani Principes,& Populi esse subiecti Potestati Summi Pontificis,quod debitum,siue iugum,sub pęna hæreticæ prauitatis non possunt à se abijcere: hoc enim iugũ non est seruitus,sed libertas,quia iugum Christi suaue est,& onus eius leue. Præterea hæreticis non fit onerosum Reges suos vtramque habere Potestatẽ, & iniuriosum reputant Papam temporali superiori modo potiri: absoluunt itaque Reges suos spiritualem Potestatem vsurpantes,& damnant Papas aliquando magna vrgente causa temporalem exercentes? Deinde Catholici,dum fateri necesse est personam Regiam in spiritualibus esse subiectam Pontifici,renuunt affirmare Principis temporalem Potestatem illi subijci,quasi maioris æstimationis, & dignitatis sit tẽporalis Potestas,quam Regalis perso-

ſonæ? Qui perſonam debitè ſubmittit, quæ perſonã committantur, ſine dubio ſubijciat, vt conſtat ex Autent. *Ingreſſi*, C. *de Sacroſanctis Eccl.* ibi: *Ingreſſi Monaſterium ſe, & ſua dedicant Deo.* L. *Si Paterfamilias* 15. D. *de adoptionib.* ibi: *Si Paterfamilias adoptatus ſit, omnia, quæ eius fuerunt, & acquiri poſſunt, tacito Iure ad eum tranſeunt, qui adoptauit.* Clementina 1. de Decimis. Valenz. conſilio 151. n. 54. & expreſſe cõſilio 55. n. 63. Vbi quod bona reputantur acceſſoria perſonæ, & n 68. dicens: quod actus, qui propter eius initium, & originem eſt cenſendus, & iudicandus per leges alicuius loci, extendit illam conditionem ad bona vbique exiſtentia, pro qua ſententia plurimos refert. His quippe declarationibus ventorũ ſe turbines reprimant, procellarum ſpumantium volumina conquieſcant, miteſcant maria, totaque videatur cęli ſerenitas innouata.

SECTIO II.

Perſona diffiniens proponitur, & modus ſuperbè declarãdi ab humilitate Catholica alienus refellitur.

3 Perſona diffiniens proponitur, *Nos Archiepiſcopi, &c. Mandato Regis Pariſijs congregati.* A legitimo Eccleſiæ Gallicanæ Capite fuit congregatio, an mandato Regis? Num Ludouicus à vobis dicitur Caput Eccleſiæ Gallicanæ, ſicut olim Iacobus Anglicanæ? Vt conuenirent in vnum locum fuit Regium præceptum, vt vero declararent, liberum Iudicium Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum. Sed ecce Lepores, ecce Vrbanitates, Dicacitates, volu-

mina quæstionum, omnes verborum inanium pestes insolẽter erupuerũt, quæ illos non iam Sacerdotes, sed potius Oratores, ac Rectores, siue quod deterius est, scurras ostendunt: quot pudore, vel metu in hæc praua declinauere! Quot cæperunt grauiter gemere! Sed quia alij vlulatus emittebant, & tanquam frænetici inordinata vociferatione garriebãt, ne sonus, aut rumor ad Regales aures perueniret, tãta maiestate induti dixerunt. *Hæc santienda, & declaranda esse duximus.*

4 Sancire leges, & statuta Pontificum declarare ad Pontificem pertinet. *L. si Imperialis Maiestas fin. C. de Legibus*, ibi: *Quis enim legum enigmata soluere, aut alijs aperire idoneus esse videbitur, nisi cui, & Legislatorem esse concessum est.* cap. *Cum venisset* 12. de Iudicijs, ibi: *Cum super priuilegijs Sedis Apostolicæ causa vertatur, nolumus de ipsis per alios iudicari*, quod late probat Fermosinus in repetitione ad illum tex. & communiter tenent DD. Vt quid ergo Maiestatem Apostolicam in re luce meridiana clariori intrepide læditis? Potestatem, qua non gaudetis diuisi, ex mandato Regis congregati acquiritis? Ex centum vix vna pars Ecclesiæ, nempe Galliæ, est monstruose supra totum Ecclesiasticum corpus, & supra ipsũ caput? Quis Sãbliabulo huic supra Papã, & supra totam Ecclesiam authoritatem commisit? Vestrum legite Gerson, qui licet Concilio Generali supra dubium Papam Potestatem adstruxit, nulli Prouinciæ, nec Regno Iudicare de pertinentibus ad totam Ecclesiam, & Pontificem permisit, immo pro comperto statuit hæreticali nota affici Prouin-
cialia

cialia Concilia super totam Ecclesiam, & Papam definientia. Si enim sine Regis mandato ad Regni regimen congregatio, non dicuntur comitia, sed conspiratio, & coniuratio, vt probat cap. *Coniurationum* 21. cap *Si quis Clericorum* 25. 11. q. 1. *L. Conuenticula* 15. C. *de Episcopis, & Clericis L.* 1. tit. 14. lib. 8. recopil. vbi Azebed. qui n. 16. hæc habet: *Sunt enim regulariter coadunationes hæ, & ligæ perniciosæ, & sic omni Iure prohibitæ, nisi specialiter, & nominatim appareant confirmatæ.* Ita sine Ecclesiæ consensu de mandato Regio talis Congregatio non dicetur Ecclesia Gallicana, aut Samblea, sed Sambliabulum.

SECTIO III.

Primum assertum de Ecclesiæ Potestate circa temporalia breuiter attingitur.

5 Primum Decreti Gallicani assertum sequenti dissertatione fusè concluditur, authoritatibusque, quibus nititur, ex professo respondetur, nunc tamen illius falsitatem breuiter demonstremus. Tripartitur assumptum, licet in idem collimet. In prima parte negat temporale Dominium in Pontifice; In secunda, quasi per deductionem infert Papam, immo, & Ecclesiam ipsam non gaudere Iurisdictione, & Potestate deponendi Reges. In tertia non posse itidem subditos à Iuramento fidelitatis Regibus præstito absoluere.

6 Prima pars à pluribus maximæ notæ DD. erroris nota inuritur, & merito. Audite B. Augustinũ Triumphum Sorbonico Sapientiæ lacte nutritum in

lib.*de Ecclesiast.Potest*.q. 4.ibi: *Error est pertinaci mẽte non credere Romanum Pontificem Vniuersalis Ecclesiæ Pastorem, Petri Successorem, & Christi legitimũ Vicarium super spiritualia, & temporalia vniuersalem nõ habere Primatum.*

7 Attendite dictis Petri Bertrandi Galli Episcopi Eduensis, postea S.R.E.Cardinalis, qui anno 1329.die 8.Festi S.Andreæ aduersus M.Petrum de Cugneris in præsentia Regis Franciæ Philippi Filij Caroli Comitis Valesij, ac de eius mandato, plura de Ecclesiastica Potestate, libertate Catholica locutus est: & in tract.de *Spirituali, & temporali Potestate* in Bibliotheca PP.tom.4.fol.mihi 1100.vbi hæc habet: *Christus commisit Petro Iura cœlestis Imperij, & Terreni: & qui hoc Priuilegium Romanæ Ecclesiæ detrahit, in hæresim labitur, & hæreticus est dicendus. Verum quamuis hoc sit Ius Ecclesiæ sibi à Deo collatum, tamen ipsa non semper vsa est isto Iure, nec vbique, partim ad vitandum scandalum, ne putaretur, quod Ecclesia magis quæreret emolumentum pecuniæ, quam correctionem vitiorum, partim propter malitiam aliquorum Tyranorum, in quorum terris plures Ecclesiæ sunt fundatæ, qui propter suam violentam potentiam non permisserunt* Ecclesiam *vti Iure suo. Sed in Regno Franciæ Christianissimo, in quo Reges fuerunt* Ecclesiæ *deuoti à principio, quo fuerunt* Christiani, *Ecclesia liberius vsa est Iure suo, & tanto liberius, quanto plus appropinquat Sedi Regni.* Et paulo post: *istas rationes proposui ego Petrus Bertrandi coram Domino Rege Philippo, qui nunc est in illa persecutione, quam habuit tunc Ecclesia Gallicana, quæ tamen per Dei gratiam sopita fuit sine scandalo.*

Cer-

8 Certum namque est hanc temporalem Potestatem, siue directe, siue saltim indirectè pleno ore, continuatisque operibus fuisse à Regibus Franciæ veneratam, & pacifice admissam in Supremo Ecclesiæ Capite, vt constat ex Rege Philippo Auo S. Ludouici; si enim attente perpendatur in historijs, hoc Ius est perpetuo vsu in Francia custoditum, & in hac miserabili temporum perystasi intendere illud aufferre, est Dei rigorosissimam Iustitiam prouocare; si namque pro minimo temporali Ecclesiæ donato prodigia Deus in Gallia excitauit, pro Iure totius Ecclesiæ, & ipsius Capitis plurima mala timeri debent. Auscultate, quæ reffert Card. Bertrandus contra Petrum de Cugneris tom. 4. Bibliotechæ PP. fol. 1074. ibi: *Nota hic de Castro dato S. Remigio pro Ecclesia Laudunensi per Clodoueum Regem, quod postea Pepinus Rex voluit detrahere facta recompensatione Ecclesia, cui dormienti apparuit B. Remigius, & eum super hoc grauiter increpauit dicens: melior te mihi dedit, & tu vis aufferre? Et ideo percussit eum; qui in crastinum inuentus est totus denigratus. Et ex tunc Reges Franciæ non fuerunt ausi in illo castro iacere.* Timeant ergo, ne D. Petrus dicat, Parentes tui te meliores hanc téporalem à Christo datam Potestatem sunt venerati, & fideli corde amplexi visibili Ecclesiæ in capite, & tu vis aufferre, quæ solus Deus donauit? Time, ne exurgat Deus, & non præualeat homo, nec Rex.

9 Breuiter tamen hæc prima asserti pars impugnatur; tum quia Vicarius Christi habet eandem plenam, & perfectam Potestatem, quam Christus D. habuit in terris: sed Christo D. à fere omnibus



bus DD. conceditur plenum, & perfectum Ius circa temporalia, & spiritualia: ergo, &c. Tum, quia Christus D. donauit Petro, & successoribus plenum Ius, & perfectam Potestatem circa spiritualia. Ideoque alij Prælati sunt vocati in partem solicitudinis, Petrus vero, & eius Successores in plenitudinem Potestatis, vt obseruat D. Bernardus in epist. 131. ibi: *Plenitudo Potestatis super vniuersas Orbis Ecclesias singulari prærogatiua Apostolicæ Sedi donata est:* Sed hãc non haberet perfectam, si semel Potestate careret circa temporalia, vtpote quia Potestas temporalis deseruit vt medium ad spiritualia, & illi subalternatur: ergo, &c. Tum, quia habens plenum Ius in personam, necesse est potestate gaudere in accessoria personæ; sed spiritualis Potestas pleno Iure constituitur in personam, & aliunde temporalia personæ accedunt: ergo &c. Tũ, quia habens ius in animã, principaliorẽ hominis partẽ, debet Potestate insigniri in corpus, minus principalem illius partem: ergo Iure gaudens in spiritualia nobiliora debet idem ius extendere in temporalia minus nobilia. Tum, quia authoritas, dominium, atque Iurisdictio Papæ est idẽ, ac Dei, vt docet B. August. Triumph. de Potest. Eccles. q. 6. n. 1. ibi: *Solus Papa dicitur esse Vicarius Dei, quia solum, quod ligatur, vel soluitur per eum, habetur solutum, & ligatum per ipsum Deum, sententia igitur Papæ, & sententia Dei vna sententia est: sicut vna sententia est Papæ, & Auditoris eius* Tunc sic, sed Deus habet authoritatem, dominium, & Iurisdictionem non solum in spiritualia, sed etiam in temporalia: ergo etiam Papa, vt eius Vicarius. Tum, quia ab ipso

plane

plane principio nascentis Ecclesiæ salubris hæc cępit consuetudo fidelium, vt sua quæque vendentes ad pedes Apostolorum pecunias ponerẽt, quibus illi necessitatibus pauperũ subsidia ministrarẽt, vt postea fideles, Principesque ipsi omnia temporalia Sanctissimi Ecclesiæ Pastoris pedibus offerrent.

10 Hæc veritas est agri dominici in persona sui Vicarij præcipua cultura, quæ vepres, spinas, & tribulos hæresum, & schismatum extirpat, excessus Regum corrigit, Principum vitam reformat, & vineam Domini ad frugem vberrimæ saturitatis adducit. Pro hac Ecclesiæ immunitate tota mente præliare Galli tenentur, exemplo apposito à Card. Petro Beltrando Gallo pro Ecclesiæ libertate, actione 1. tom. 4. Biblioth. PP. fol. 1074. ibi: *Nota hic, quo modo Rex Philippus Avus S. Ludouici fouebat, & nutriebat in Regno suo S. Thomam Cantuariens. Archiepiscopum, qui pro immunitate Ecclesiæ deffindẽda fuerat de Regno Angliæ bannitus*; quanto magis decet vos defendere immunitatem Ecclesiæ in Potestate temporali Summi Pastoris, & totius vniuersalis Ecclesiæ veneratam, & publicatam operibus, simulque vocibus Illustrium Franciæ Regum Clodouei, Caroli M., S. Ludouici, & aliorum, in hoc Reges, Parentesque honorate, & debitam Ecclesiæ subiectionẽ ostendite.

11 Secunda pars illius asserti, scilicet, nec Papam, nec ipsam Ecclesiam gaudere iurisdictione, & potestate deponendi Reges depellitur. Tum, quia D. Tho. 2. 2. q. 12. art. 2. ait: *Aliquis per infidelitatẽ peccans potest sententialiter Ius Domini amittere, sicut etiam*

EVRYTHIMIA PONTIFICALIS,

SIVE RECTVM IVDICIVM declarationis Cleri Gallicani, de Ecclesiastica Potestate.

SECTIO I.

Fundamenta, quibus nititur declaratio, euelluntur.

Num. I. DVO fundamenta, vt occasionem declaratio præfert. Pro primo proponit libertates Ecclesiæ Gallicanæ tanto conatu obseruatas, quin consulto aduertat posse Summum Pontificem dissolutiones, sub titulo priuilegij, de medio tollere, statuta etiam olim ab ipsis veneranda, nunc erroris aspergine fœdata suis rescriptis declarare: famelicum namque nostræ humilitatis stomachum pro temporum varietate diuersis Iuris Canonici dapibus satiari opus est. Deinde, quia libertates, & priuilegia illa dubia sunt, vt historiarum latitudinem tanquam Cœli faciem curioso perlustranti intuitu constabit. Et expresse deciditur à Clemente III. in cap. *Capellanus de ferijs* posse Summum Pontificem in dubijs opinionibus declarare, quæ sit sequenda, & maxime cum non solum verbis, sed factis declarat. *L. de Quibus.* vers. *Quid enim inter est. D. de Legibus, L. Paulum, D. Rem ratam haberi.* Semper præsumere debet Ecclesia

Ga-

Gallicana Papæ ſententias,& declarationes eſſe iuſtas,& legitimè,atque Canonice promulgatas,vt dicit tex.in cap.*Cum inter vos, §. finali de ſentent. & re Iudic.* cap.*Abſit* 11.q.3.quia Papa eſt fons Iuſtitiæ,vt probat Clement.vnica de *Probat.*Gloſſ.in *L. Relegati*,verbo *Reliqua* de pœnis,& quia Papæ conuenit ſumma perfectio,& ſapientia, vt recte probat Card.Paleotus in tractatu de SacroConſiſtorio p.2. q.2.pag.59.

2 Pro ſecundo fundamento aſſumit præfata declaratio,quod hæretici hanc Poteſtatem Papę oſtentant Regibus,& Populis onerosam : fateor ſi hoc hæreticali fundamento mouetur,debere etiam dicere Papam non habere Poteſtatem ſpiritualem circa Reges,& Populos,quia hoc intendit hæreticorum figmentum. Tenentur ergo Chriſtiani Principes,& Populi eſſe ſubiecti Poteſtati Summi Pontificis,quod debitum,ſiue iugum,ſub pęna hæreticæ prauitatis non poſſunt à ſe abijcere : hoc enim iugũ non eſt ſeruitus,ſed libertas,quia iugum Chriſti ſuaue eſt,& onus eius leue. Præterea hæreticis non fit onerosum Reges ſuos vtramque habere Poteſtatẽ, & iniurioſum reputant Papam temporali ſuperiori modo potiri : abſoluunt itaque Reges ſuos ſpiritualem Poteſtatem vſurpantes,& damnant Papas aliquando magna vrgente cauſa temporalem exercentes? Deinde Catholici,dum fateri neceſſe eſt perſonam Regiam in ſpiritualibus eſſe ſubiectam Pontifici,renuunt affirmare Principis temporalem Poteſtatem illi ſubijci,quaſi maioris æſtimationis, & dignitatis ſit tẽporalis Poteſtas,quam Regalis perſo-

sona? Qui personam debitè submittit, quæ personã commitantur, sine dubio subijciat, vt constat ex Autent. *Ingressi*, C. *de Sacrosanctis Eccl.* ibi: *Ingressi Monasterium se, & sua dedicant Deo.* L. *Si Paterfamilias* 15. D. *de adoptionib.* ibi: *Si Paterfamilias adoptatus sit, omnia, quæ eius fuerunt, & acquiri possunt, tacito Iure ad eum transeunt, qui adoptauit.* Clementina 1. de Decimis. Valenz. consilio 151. n. 54. & expresse cõsilio 55. n. 63. Vbi quod bona reputantur accessoria personæ, & n 68. dicens: quod actus, qui propter eius initium, & originem est censendus, & iudicandus per leges alicuius loci, extendit illam conditionem ad bona vbique existentia, pro qua sententia plurimos refert. His quippe declarationibus ventorũ se turbines reprimant, procellarum spumantium volumina conquiescant, mitescant maria, totaque videatur cęli serenitas innouata.

SECTIO II.

Persona diffiniens proponitur, & modus superbè declarãdi ab humilitate Catholica alienus refellitur.

3 Persona diffiniens proponitur, *Nos Archiepiscopi, &c. Mandato Regis Parisijs congregati.* A legitimo Ecclesiæ Gallicanæ Capite fuit congregatio, an mandato Regis? Num Ludouicus à vobis dicitur Caput Ecclesiæ Gallicanæ, sicut olim Iacobus Anglicanæ? Vt conuenirent in vnum locum fuit Regium præceptum, vt vero declararent, liberum Iudicium Archiepiscoporum, & Episcoporum. Sed ecce Lepores, ecce Vrbanitates, Dicacitates, volu-

mina quæstionum, omnes verborum inanium pestes insolëter erupuerũt, quæ illos non iam Sacerdotes, sed potius Oratores, ac Rectores, siue quod deterius est, scurras ostendunt: quot pudore, vel metu in hæc praua declinauere! Quot cæperunt grauiter gemere! Sed quia alij vlulatus emittebant, & tanquam frænetici inordinata vociferatione garriebãt, ne sonus, aut rumor ad Regales aures perueniret, tãta maiestate induti dixerunt. *Hæc santienda, & declaranda esse duximus.*

4 Sancire leges, & statuta Pontificum declarare ad Pontificem pertinet. *L. si Imperialis Maiestas fin. C. de Legibus*, ibi: *Quis enim legum enigmata soluere, aut alijs aperire idoneus esse videbitur, nisi cui, & Legislatorem esse concessum est.* cap. *Cum venisset* 12. de Iudicijs, ibi: *Cum super priuilegijs Sedis Apostolicæ causa vertatur, nolumus de ipsis per alios iudicari*, quod late probat Fermosinus in repetitione ad illum tex. & communiter tenent DD. Vt quid ergo Maiestatem Apostolicam in re luce meridiana clariori intrepide læditis? Potestatem, qua non gaudetis diuisi, ex mandato Regis congregati acquiritis? Ex centum vix vna pars Ecclesiæ, nempe Galliæ, est monstruose supra totum Ecclesiasticum corpus, & supra ipsũ caput? Quis Sãbliabulo huic supra Papã, & supra totam Ecclesiam authoritatem commisit? Vestrum legite Gerson, qui licet Concilio Generali supra dubium Papam Potestatem adstruxit, nulli Prouinciæ, nec Regno Iudicare de pertinentibus ad totam Ecclesiam, & Pontificem permisit, immo pro comperto statuit hæreticali nota ffici Prouincialia

cialia Concilia super totam Ecclesiam, & Papam definientia. Si enim sine Regis mandato ad Regni regimen congregatio, non dicuntur comitia, sed conspiratio, & coniuratio, vt probat cap. *Coniurationum* 21. cap *Si quis Clericorum* 25. 11. q. 1. *L. Conuenticula* 15. C. *de Episcopis, & Clericis L.* 1. tit. 14. lib. 8. recopil. vbi Azebed. qui n. 16. hæc habet: *Sunt enim regulariter coadunationes hæ, & ligæ perniciosæ, & sic omni Iure prohibitæ, nisi specialiter, & nominatim appareant confirmatæ.* Ita sine Ecclesiæ consensu de mandato Regio talis Congregatio non dicetur Ecclesia Gallicana, aut Samblea, sed Sambliabulum.

SECTIO III.

Primum assertum de Ecclesiæ Potestate circa temporalia breuiter attingitur.

5 Primum Decreti Gallicani assertum sequenti dissertatione fusè concluditur, authoritatibusque, quibus nititur, ex professo respondetur, nunc tamen illius falsitatem breuiter demonstremus. Tripartitur assumptum, licet in idem collimet. In prima parte negat temporale Dominium in Pontifice; In secunda, quasi per deductionem infert Papam, immo, & Ecclesiam ipsam non gaudere Iurisdictione, & Potestate deponendi Reges. In tertia non posse itidem subditos à Iuramento fidelitatis Regibus præstito absoluere.

6 Prima pars à pluribus maximæ notæ DD. erroris nota inuritur, & merito. Audite B. Augustinũ Triumphum Sorbonico Sapientiæ lacte nutritum in

lib.*de Ecclesiast.Potest*.q. 4.ibi: *Error est pertinaciméte non credere Romanum Pontificem Vniuersalis Ecclesiæ Pastorem, Petri Successorem, & Christi legitimũ Vicarium super spiritualia, & temporalia vniuersalem nõ habere Primatum.*

7 Attendite dictis Petri Bertrandi Galli Episcopi Eduensis, postea S.R.E.Cardinalis, qui anno 1329. die 8. Festi S. Andreæ aduersus M. Petrum de Cugneris in præsentia Regis Franciæ Philippi Filij Caroli Comitis Valesij, ac de eius mandato, plura de Ecclesiastica Potestate, libertate Catholica locutus est: & in tract. de *Spirituali, & temporali Potestate* in Bibliotheca PP. tom. 4. fol. mihi 1100. vbi hæc habet: *Christus commissit Petro Iura cœlestis Imperij, & Terreni: & qui hoc Priuilegium Romanæ Ecclesiæ detrahit, in hæresim labitur, & hæreticus est dicendus. Verum quamuis hoc sit Ius Ecclesiæ sibi à Deo collatum, tamen ipsa non semper vsa est isto Iure, nec vbique, partim ad vitandum scandalum, ne putaretur, quod Ecclesia magis quæreret emolumentum pecuniæ, quam correctionem vitiorum, partim propter malitiam aliquorum Tyranorum, in quorum terris plures Ecclesiæ sunt fundatæ, qui propter suam violentam potentiam non permisserunt Ecclesiam vti Iure suo. Sed in Regno Franciæ Christianissimo, in quo Reges fuerunt* Ecclesiæ *deuoti à principio, quo fuerunt* Christiani, *Ecclesia liberius vsa est Iure suo, & tanto liberius, quanto plus appropinquat Sedi Regni.* Et paulo post: *istas rationes proposui ego Petrus Bertrandi coram Domino Rege Philippo, qui nunc est in illa persecutione, quam habuit tunc Ecclesia Gallicana, quæ tamen per Dei gratiam sopita fuit sine scandalo.*

Cer-

8 Certum namque est hanc temporalem Potestatem, siue directè, siue saltim indirectè pleno ore, continuatisque operibus fuisse à Regibus Franciæ veneratam, & pacifice admissam in Supremo Ecclesiæ Capite, vt constat ex Rege Philippo Auo S. Ludouici; si enim attente perpendatur in historijs, hoc Ius est perpetuo vsu in Francia custoditum, & in hac miserabili temporum perystasi intendere illud aufferre, est Dei rigorosissimam Iustitiam prouocare; si namque pro minimo temporali Ecclesiæ donato prodigia Deus in Gallia excitauit, pro Iure totius Ecclesiæ, & ipsius Capitis plurima mala timeri debent. Auscultate, quæ reffert Card. Bertrandus contra Petrum de Cugneris tom. 4. Bibliotechæ PP. fol. 1074. ibi: *Nota hic de Castro dato S Remigio pro Ecclesia Laudunensi per Clodoueum Regem, quod postea Pepinus Rex voluit detrahere facta recompensatione Ecclesiæ, cui dormienti apparuit B. Remigius, & eum super hoc grauiter increpauit dicens: melior te mihi dedit, & tu vis aufferre? Et ideo percussit eum; qui in crastinum inuentus est totus denigratus. Et ex tunc Reges Franciæ non fuerunt ausi in illo castro iacere.* Timeant ergo, ne D. Petrus dicat, Parentes tui te meliores hanc temporalem à Christo datam Potestatem sunt venerati, & fideli corde amplexi vissibili Ecclesiæ in capite, & tu vis aufferre, quæ solus Deus donauit? Time, ne exurgat Deus, & non præualeat homo, nec Rex.

9 Breuiter tamen hæc prima asserti pars impugnatur; tum quia Vicarius Christi habet eandem plenam, & perfectam Potestatem, quam Christus D. habuit in terris: sed Christo D. à fere omnibus



plane principio nascentis Ecclesiæ salubris hæc cœpit consuetudo fidelium, vt sua quæque vendentes ad pedes Apostolorum pecunias ponerẽt, quibus illi necessitatibus pauperũ subsidia ministrarẽt, vt postea fideles, Principesque ipsi omnia temporalia Sanctissimi Ecclesiæ Pastoris pedibus offerrent.

10 Hæc veritas est agri dominici in persona sui Vicarij præcipua cultura, quæ vepres, spinas, & tribulos hæresum, & schismatum extirpat, excessus Regum corrigit, Principum vitam reformat, & vineam Domini ad frugem vberrimæ saturitatis adducit. Pro hac Ecclesiæ immunitate tota mente præliare Galli tenentur, exemplo apposito à Card. Petro Beltrando Gallo pro Ecclesiæ libertate, actione 1. tom. 4. Biblioth. PP. fol. 1074. ibi: *Nota hic, quo modo Rex Philippus Auus S. Ludouici fouebat, & nutriebat in Regno suo S. Thomam Cantuariens. Archiepiscopum, qui pro immunitate Ecclesiæ deffindẽda fuerat de Regno Angliæ bannitus*; quanto magis decet vos defendere immunitatem Ecclesiæ in Potestate temporali Summi Pastoris, & totius vniuersalis Ecclesiæ veneratam, & publicatam operibus, simulque vocibus Illustrium Franciæ Regum Clodouei, Caroli M., S. Ludouici, & aliorum; in hoc Reges, Parentesque honorate, & debitam Ecclesiæ subiectionẽ ostendite.

11 Secunda pars illius asserti, scilicet, nec Papam, nec ipsam Ecclesiam gaudere iurisdictione, & potestate deponendi Reges depellitur. Tum, quia D. Tho. 2. 2. q. 12. art. 2. ait: *Aliquis per infidelitatẽ peccans potest sententialiter Ius Domini amittere, sicut etiam*

etiam quandoque propter alias culpas; Tum, quia eadem Christi lex est pro Principe, & Plebeio: si namque ratione criminis læsæ maiestatis humanæ dominia, vita, omniaque temporalia amittuntur, quanto magis propter crimen Diuinæ læsæ maiestatis. Tum, quia Pontifex habet authoritatem statuendi, eligendique media conuenientia consulto Iudicata ad salutem Regis, vel Regni: sed hæc esse possunt depositio Regni: priuatio enim temporalium multoties causa est, vt peccator conuertatur, & sursum cor extollat. Tum, quia Ecclesia potest peccatum publicum publica pęnitentia afficere sed pęnitentia publica expediens quandoque esse potest Regni priuatio: omnia enim temporalia, illorumque priuatio sunt infra debitum cuiuscumque peccati. Tum, quia violanti præcepta Pontificis aliter ad iugum Ecclesiæ adduci non potest, ideoque D. Gregorius lib. 12. epist. 32. concludit: *Si quis Regum, & huius Apostolicæ authoritatis, & nostræ præceptionis decreta violauerit cuiuscumque dignitatis, vel sublimitatis sit, honore priuetur.*

12 Tum, quia per excommunicationem Rex constituitur inhabilis exercendi munus Regale, sicut per excommunicationem redditur quis inhabilis ad officium Procuratoris c. 7. de probation. & ad iudicandum, vt habetur cap. 24. de re Iudic. siue Iudex sit Ecclesiasticus, siue sæcularis, pro qua sententia plures AA. refert Barbosa in cap. *Venerabilem* 34. de electione, & n. 9. aduertit excommunicatum in Iudicem, aut dignitatem sæcularem assumi non posse; ergo cum esse Regē sit gaudere publico

blico officio,& dignitate,potest per excommunicationem suspendi,& omnino tolli eius dignitas, & exercitium. Tum,quia illorum,quæ continuo Ecclesia exequitur,veneratione tenemur fateri potestatẽ, & recto,iustoque titulo illa executioni mandasse:sed Ecclesia,& Pontifex deposuit plures Reges,non solum in hæresis causa,sed in aliis peccatis publicis, vt constat ex Innocencio 3. Otthonem ab Imperialibus titulis expoliante,& Ioannem Angliæ Regem, vt obseruat Matth.Parisiensis ad annum 1212. ex Gregorio 7.Henricum 5.Imperatorem ab administratione Imperij absoluente,& Boleslaum Poloniæ Regem,ex Innocencio 4.Santium à Regno Lusitaniæ deponente,& ex eodem Innocencio 4.Fredericum Siciliæ Regno expoliante,ex Stephano 2.Cõstantinum,& Leonem Imperio priuante,ex Honorio 3.& Gregorio 9.à Frederico 2. Imperiale Diadema auferentibus. Ex Zacharia Pontifice pro inutilitate Childericum Regno Franciæ priuante, & Pipinum Caroli M. Imperatoris Patrem eius loco subrogante, &c.

13 Sed dices cum Almain circa quæstiones Guillelmi Okam de Potestate Ecclesiastica, & Laica,q. 2.c.8. Vbi dicit quod Zacharias Papa deposuit Regem Frãcorum,& instituit Pipinum, quia tunc temporis non erat adhuc Vniuersitas Parisiẽsis,nam tempore Caroli M. fundata fuit,& sic pauci erant docti in Francia, & habuerunt recursum ad Papam,& sic deposuit,idest consensit,vt possent deponere,& sic non deposuit authoritatiuè.

14 Sed contra, quia tantum abest, vt si

d esset

esset Vniuersitas Parisiensis,non esset talis depositio,quod si non esset depositio non daretur Vniuersitas Parisiensis: nam si non esset depositio Childerici non esset Pipinus, nec Carolus M. Rex Franciæ: sed si Carolus M. non esset Rex Franciæ, non esset fundator Vniuersitatis Parisiensis. ergo si non esset Ecclesiæ depositio, non daretur Vniuersitas Parisiensis. Debet ergo Regnum Franciæ debitas Ecclesiæ gratias persoluere in tali depositione, cum Deus visibiliter illis immediate donauerit Carolū M. Vniuersitatem Parisiensem à puluere erigentem, noctēque ignorantiæ à Regno Galliæ pellentem, ditiones Franciæ amplificantem, perpetuaque immortalitatis fama iustissime decorantem; quantum debet Galliæ Regnum Carolo M., tantum restituite Sedi Apostolicæ illum donanti. Ecce quod si esset Vniuersitas Parisiensis,& sine fundamento (quod absit credere) Iudicaret depositionem à Pontifice fieri nō posse, sui ipsius esset destructiua, maximæ gloriæ Franciæ impeditiua. Præterea vnde somniat Almainus Childericum non fuisse authoritatiue depositū, cum contrarium omnes testentur Historiæ, constatque alias depositiones per modum sententiæ,& authoritatiue fuisse executas, vt habetur in vita Gregorij 7. per Platinam sententiæ formam afferentē. Sed quæso, vnde habet Vniuersitas Parisiensis authoritatem declarandi super his? Tēpore solum Almaini fuerunt aliqui Theologi speculatiui, qui crudis solū modo speculationibus,& clamosis quæstionū disputationibus Ecclesiæ potestatē de depositione inuestigarunt, vel de Pontifice disceptarunt ad tempo

ralem

ralem Reguum gustum inuitati. Sed quid amplius quærimus? Quid veteribus nouellos hos fastidiosi cumulamus? In sacro vetusto facto depositionum immoremini, in hoc vester Spiritus exerceatur, in horũ studio vestrum desudet ingenium, non in curiosis, & supervacuis chimæris subtilitatem quandam mẽtientibus, quę non implent animum, aut satiant, sed potius pruritum accendunt auribus, & á veritate tandem abducunt.

15 Certum enim est, quod si Princeps in publicum peccatum incidit, & contra fidem, & mores aliquid disponit, potest, immo & corrigi debet à Pontifice, aut Episcopo, & si tunc Ecclesiam non audierit, tanquam Ethnicus, & Publicanus erit tractandus, sic D. Ambrosius Archiepiscopus Mediolanensis excommuuicauit Imperatorem Theodosium, constanterque adstruit in orat. contra Auxen. *Imperator bonus intra Ecclesiam, non supra Ecclesiam*; S. Innocentius Imperatorem Arcadium, S. Fabianus ab Ecclesia separauit Philippum I. Imperatorem Monotelitam, quem Constantinus Papa in Symbolo Romano excommunicauit, & Imperiali honore priuauit, vt refert Beda lib. 2. de ratione temporũ, & Sygonius lib. 3. Regni Ital. ex Chron. Martini. Gelasiusque Papa in epist. ad Episcopos Troianos plurima refert exemplaria Imperatorum, & Reguũ, quos excommunicationis vinculo ligauerunt Pontifices, scilicet Theodosium Magnum, Theodosium 2. Antemium, Zenonem, & Basiliscũ Imperatores, & Hunnericum Vvandalorum in Africa Regem, & Odocarum Herulorum Regẽ. Quæ Pontifices non vniuer-

salis Ecclesiæ aliquando, sed alicuius particularis loci patrauere, Sancti tamen nullis temporalibus, aut politicis adstricti impedimentis, quales fuerunt D. Ambrosius, D. Hilarius, S. Simplicus, S. Eugen. Episcop. Cartaginensis, & alij; tādemque Bonifacium 8. deposuisse Philippum cognomento Pulchrum Frāciæ Regem expresse notatur in supplemento Abbatis Vspergensis, ibi: *Bonifacius Regem Galliæ excommunicauit, & titulum Regni Gallici Alberto Imperatori Germanico dedit*, ita vt *Germaniam, & Galliam committeret*: & causam reddit, *implacabiliter enim Rex Franciæ Pontificem offenderat, quod Pragmaticam sanciens Apostolicæ Sedi, suum per Franciam diminuit honorem*.

16 Tertia pars huius primi asserti Gallicani, scilicet, non posse Pontificem subditos à Iuramento fidelitatis Regibus præstito absolvere, manifestè falsitatis conuincitur. Tum, quia Rex à Regno depositus ciuiliter est mortuus, & actio deponendi est indiuidua actio absoluendi subditos à Iuramento fidelitatis, vel saltim naturali sequela consequitur, vt colligi potest ex cap. *Absolutos* de hæreticis. c. *Nos SS.* c. *Iuratos* 15. q. 6. ergo facta depositione ratione Iuramenti non tenentur illi vasalli fidelitatem præstare; tum, quia fidelitatis Iuramentum promittitur personæ in Regali Sede constitutæ: sed post depositionem nec manet in Regali Sede, nec eadem moraliter persona: ergo, &c. Tum, quia Iuramentum fidelitatis est Regibus factum sub explicita conditione, quod fidem Deo seruent, bonum publicum procurent, damna à Regno auertant, iustitiamque seruēt,

&

& ideo antequam Populi Iuraméto adstringantur, ille prius regnaturus iurat, hac itaque conditione nō adimpleta, aut variata deficit obligatio iuramento firmata, maxime cum in melius nempe in obedientiam Summo Præsuli commutatur, vt habetur cap. *Peruenit* 3. de Iure iur. Tum, quia si Iuramentū præstatur Regi Catholico, & postea sit hæreticus, non adstringuntur Iuramento vassalli, vt habetur in Moneta legitimo pondere defraudata, cap. *Quanto* 18. de Iure iur. ibi: *Non tam erat absolutio necessaria, quā interpretatio requirenda.* Tum, quia iuramentum nequit esse iniquitatis vinculum, vt dicitur eodem c. *Quanto*. Tum, quia non valet iuramentum præstitū in præiudicium Iuris superioris, nempe Papæ, & Ecclesiæ cap. *Venientes* 19. de Iure iur.

17 Tum, quia Iuramentum generale fidelitatis Regi ita intelligi debet, vt iuri Ecclesiæ nō contrarietur, alias tanquam temerarium non obligabit, c. *Ad nostram* 21. de Iure iur. Tum, quia iuramentum contra vtilitatem Ecclesiasticam, eiusque potestatem non tenet ex cap. *Sicut nostris* 27. & ex cap. *Petitio* 31. de Iure iur. & priuatum Regis Pactū nullatenus potest publico Regni, & Ecclesiæ Iuri officere, vt colligitur ex cap. *Si diligenti*, de foro cōpet. & L. *Iuris gentium*, §. *Si Paciscar D. de Pactis*, quam regulam, vt verissimam tradunt Bartholus, *L. Si quis*, pro eo, n. 7. & 8. D. *de Fideiussor*. Abbas c. *Cum contingat*, n. 22. v. *Octauus casus*, Alciatus ibidē n. 27. Corneus sup. Auth. *Sacramenta puberū*. C. *Si aduersus vēdit*. n. 48. Couarr. in c. *Quāuis pactū* in 6. *de Pactis* 2. p. § 1. n. 1. & 5. Ant. Gom. 2. var. c. 14. n. 24. Minchaca

chaca de Success.creat.lib.3.§ 28.n. 21. Gutierrez *de Iuramento* 1.p.c.58.n.15.Seraphinus plurimos referens de priuilegijs Iuramenti, priuileg. 61. n.13.

18 Tum, quia in omni iuramento censetur excepta authoritas legis, tàm Canonica, quàm Ciuilis, quando adest puplica vtilitas, vt tenet Alex. cons. 38.n.11.vol.3.& alij citati à Larrea Alleg. fisc. alleg. 3.num.12.& tradit Menoch.cons. 224. n. 34. vbi dicit non esse iuramentum obseruandum superueniente legis authoritate, vel vtilitate publica, & quia iuramentum rebus sic stantibus emissum intelligitur, c. *Quemadmodum* de Iure iur. Vbi August. Barb. in eius Collect & Grat. 3.to. discept. c. 534. n. 51. Sed Regni priuatio semper fuit ab Ecclesia in publicam fideliũ, & Reipublicæ vtilitatem: ergo non adest tunc obligatio iuramenti fidelitatis. Tum, ex Cõcil. Lateran. sub Innocentio 3.cap.3.ibi: *Si satisfacere contempserit infra annum, significetur hoc Summo Pontifici, vt ex tunc ipse Vasallos ab eius fidelitate absolutos, & terram exponat Catholicis occupandam*. Quod etiã expresse deciditur in Cõcilio Beluacensi, & ideo Conon Episc. Prænestinus, & Paschasius 2. Cardinalis Legatus in Francia publicauit illud Gregorij 4. decretum, scilicet *Prædecessorum nostrorũ statuta sequentes eos, qui excommunicatis fidelitate, aut Sacramento adstricti sunt, Apostolica Authoritate à Sacramento absoluimus, quo vsque ipsi ad satisfactionem veniant, & ne eis antea fidelitatem obseruent, prohibemus*.

19 Tum, quia in casu depositionis solum iuramentum propter Dei honorem est seruandum, & tunc licitum est relaxari à Prælato, quia Prælatus

qu

qui est Dei Vicarius, potest eius nomine iuramentũ relaxare, adestque in eo euentu iusta eadem causa relaxandi, ac deponendi, alias esset talis Rex ab Ecclesia depositus, & non esset depositus; esset depositus, vt ex Ecclesiæ sententia conuincitur, non esset depositus, quia ratione iuramenti vassalli essent obligati fidem illi seruare, & obedire, propter quod consulto iudicarem vnicam, & indiuiduam actionem esse depositionem, & iuramenti relaxationem. Ex his obiter attactis manifeste constat posse Pontificem iuramentum fidelitatis Regibus præstitum relaxare, abeiusque obligatione absoluere.

20 Ex quo concluditur primo: illud schismaticum iuditium nullatenus publicę tranquillitati esse necessarium, cum rectus ordo, & rerum tranquillitas consistat in eo quod inferiora sint superioribus subiecta, nec rebelliter declinent ab ordine à Deo statuto: sed vt constat ex dictis, & dicendis, à Deo, ab Ecclesia, & à Catholicis est firmiter statutum Sũmo Pontifici, tanquam supremæ Potestati subdi omnem temporalem potentiam: ergo illi in temporalibus subijci omnino necessariũ publicæ tranquillitati iudicari debet. Deinde tranquillitas publica debet esse non solum sæcularium, sed etiam Ecclesiæ, & vtriusque inter se: sed cum rebellione sæcularium in Ecclesia negando in Pontifice temporalem potestatem non est tranquillitas, & consonantia status Ecclesiastici, & sæcularis: ergo tale iudicium Gallicanũ minime ad publicam tranquillitatem, quam præ se ferre videtur, conducit.

21 Concluditur secundo: eam sententiam

(si

(si ita loqui fas est) neque Ecclesiæ, neque Imperio vtilitatem afferre, non Ecclesiæ, cum auferat temporalem potestatem, quæ in Ecclesia residet, & qui abstulerit, quod Ecclesiæ est, sacrilegium facit, & sacrilegus reputandus est, vt inter alia sub infert Anacletus; non Imperio, cui nulla vtilitas accrescere potest ex rebellione in subiectione Deo, eiusque Vicario præstanda, hic enim arrogantiæ tumor, hic elationis fastus, Luciferinæque superbiæ inditium non emolumentum, sed miserabilem ruinam Imperio, & Regnis miserabiliter afferre necesse est.

22 Concluditur tertio, talem Gallicanam declarationem minime esse verbo Dei, PP. traditioni, & SS. exemplis consonam, cum ex dictis, & in dissertatione adducendis contrarium manifeste conuincatur. O nouum schismaticorum genus, & os sacrilegum æterni silentij censura damnandum! Si enim isti nouatores, sicut aliqui antiqui sui furfuris, hoc simpliciter, prout sibi videretur, exprimerent, stulti, vel hebetes merito dicerentur, sed quoniam pallio Religionis, verbo Dei, PP. traditione, & SS. exēplis in animarum perniciem id procaciter adstruunt, & quibusdam cauillationum, argumentorumque versutijs in hoc pervicaciter allegare contendunt, nō immerito (quod inviti dicimus) hæreticorum nomen incurrunt. Non enim error hæreticum, sed peruicax obstinatio facit. Nec omnes hæretici dicendi sunt, qui opinantur errorem, sed qui pertinaciter, & audaciter prædicant falsitatem, sicut isti nouelli declaratores. His itaque expositoribus Sathanæ, & Episcopis Anti-Christi, Tu Venerabilis Pater Sanctissime

Cœ-

Cœlestis eloquij gladio præcinctus occurre; & tanquam alter Iosue Amalechitas oppugnantes Israel, euaginato Canonici vigoris mucrone, prosterne. Tollatur è medio quantocitius Tartareæ amaritudinis aconitum, ne quod absit, ferale venenum faucibus influat parvulorum; tuis præterea manibus talis aromatici pigmenti quibusque languentibus propinetur antidotus, qui & venenati erroris tollat illuviẽ, & sanæ, atque sinceræ fidei restituat puritatem.

SECTIO IIII.

An Sessio 4. & 5. Concilij Constantiensis fuerint ab Ecclesia approbatæ? Obiter de statuto in eis à Gallis prætenso.

23 Secundum assertum primo docet Sessionem 4. & 5. Concilij Constantiensis esse ab Ecclesia approbatas; secundo ex statutis in illis Sessionibus infert Concilium supra Papam habere authoritatem. Falsitas primi manifeste apparet; tum, quia sess. 45. & vltima eiusdem Concilij Constantiẽsis hæc habentur: *Omnia, & singula determinata, conclusa, & decreta in materijs fidei per præsens Concilium conciliariter tenere; ipsa quoque sic Conciliariter facta approbat* (intellige Martinus 5.) *& ratificat, & non aliter, nec alio modo.* Constat etiam sessionem 4. & 5. Concilij Constantiensis, nõ fuisse cõciliariter actas, vtpote quia tunc erat corpus sine capite, & cõciliariter debet intelligi corpus misticum Ecclesiæ perfectum, capitique vnitum, quia sess. 4. & 5. fuerunt

ante electionem Martini 5. actæ, vt constat ex eodē Concilio, & consequenter ab ipso non emanarunt; non etiam ab Ioanne 23. quia tunc temporis abfugerat; nec etiam à Gregorio 12. & Benedicto 13. quia nec per se, nec per Legatos erant adhuc in Cōcilio. Ex quo sic impugnatur prima pars asserti: Illa sunt conciliariter acta, quibus præest Ecclesiæ caput, siue certum, siue saltim dubium: sed pro Sess. 4. & 5. Concilij Constantiensis nullum fuit caput, nec certum, nec dubium; ergo illa non fuere conciliariter acta. Deinde illa sunt Conciliariter acta, quæ statuuntur pleno Concilio, aut postquam PP. conciliares sunt congregati: sed Sessio 4. & 5. fuerūt antequam plurimi, hijque Patres præstantiores conciliares aduenissent; adhuc enim Hispani, & Galli non ad fuerant, vt constat ex eodem Concilio; nam vsque ad Sess. 14. solum fuerunt Patres ex obedientia Ioannis 23. & tunc fuit conuocatio facta nomine Gregorij 12. & sess. 20. ex obedientia Benedicti 13. & vsque dum omnes obedientiæ essent congregatæ non erat Generale Concilium, vt cum Imperatore Segismundo fuerat tractatum, & firmatum: nā Eugenius 4. qui Cardinalis extitit in Concilio Constantiensi, vt videre est in Constitutionibus incipiētibus, *Saluatoris, & Doctoris Gentium*, dicit sess. 4. & 5. tempore schismatis fuisse determinatas, vtpote quia tunc solum erant ex obediētia Ioannis 23, quod expresse obseruat in Constitutione approbata à Concilio Florentino incipiente: *Moyses Vir Dei.* Similiter etiam Cardinalis Turrecremata, qui adfuit Concilio Constantiæ lib. 2. de Ecclesia cap. 99. dicit:

De-

Decreta illa de Potestate Concilij supra Papam nullius esse roboris, vel momenti, quoniam in illorum determinatione non modo non interuenit Ecclesia, sed vna obedientia tantum Ioannis 23. Sed etiam neque integre tota illa obedientia, quoniam plures Patres Doctissimi illius obedientiæ illis non præstiterant assensum, immo, nec ipse Ioannes 23. Ergo illa non fuerunt conciliariter acta.

24 Tum, quia Martinus 5. solum approbat conclusa, & decreta in materijs fidei, nempè cōtra Ioannem de Hus, Ioannem Vvichlefc, & Hieronymum de Praga, alia vero omnia sine confirmatione reliquit: ergo falso dicitur à Gallicana declaratione sessiones istas fuisse à Sede Apostolica approbatas, & Romanorum Pontificum, ac totius Ecclesiæ vsu confirmatas, vel assignent illarum ab aliquo Pontifice confirmationem, aut approbationem, & consequenter à veritate aberrant somniatam approbationem falso fingentes. Quæ profecto ab Ecclesia, & Pontificibus sunt approbata, & confirmata, & de quibus nullum dubium efformari potest, quæque à Sede Apostolica sunt repetite iussa, & Dei Potestate imperata ab illis temporali subiectione non obseruantur, & quæ nullam Ecclesiæ approbationem obtinuere perpetua Religione custodiuntur? Sane misserrima calamitas est obseruare ad vnguem nō obseruanda, debito vero iure colenda superba arrogantia despicere!

25 Tum etiam, quia Concilium Constātiense non decernit ipsum, vel aliud quodcumque generale Concilium habere authoritatem supra Papam Canonice electum, & pacifice admissum, sed

solum declarat ipsum Concilium Constãtiense determinate habere potestatem supra Papam dubiũ, vt tunc accidebat ad extirpationem dicti schismatis: ergo ex illis sessionibus nullatenus deducitur authoritas Concilij supra Papam indubitatũ. Tũ, quia Concilium Constanciense nunquam agnoscere voluit, quis ex tribus pro Pontificia dignitate decertantibus esset verus Pontifex; & si supra Papam authoritate gauderet, illorum iura mature iudicare teneretur, cum superioris sit iudicium ferre in litigiosis causis inferiorum: ergo indicium est Concilium Constantiense solum indicasse habere aliquam authoritatem pro bono Ecclesiæ ad extirpationẽ dicti schismatis à circunstantijs accepta Potestate.

26 Tum, quia post electionem Martini 5. omnia Concilij decreta fuerunt sic apposita; *Martinus servus servorum Dei*, & non *Sancta Constãtiensis Synodus*, vt constat ex sess. 45. ergo signum est Concilij authoritatem solum tempore schismatis durasse, quia tunc Concilium firmiori certitudine roborabatur, quam quilibet ex tribus prætendens Romanum Pontificatum, & post indubitatam Martini 5. electionem tota authoritas erat in Romano Põtifice, non vero in ipso Concilio. Tum, quia sessio 4. & 5. expresse loquuntur de præsentibus circunstantijs Pontificis dubij; nam dicit: *Cui quilibet cuiuscũque dignitatis, etiam si Papalis existat, obedire tenetur.* En vbi Concilium denotat tempus præsens, & Papatum solum tunc existentem, non enim dicit, *etiam si Papalis existat, & quandocumque extiterit*, quod in legibus pro quocumque tempore decernentibus

tibus fieri debet,& solet: ergo Concilium Constantiense ibi solum adstruit Potestatem super dubios tunc existentes Pontifices, cum dubij Papæ potius pro non Pontificibus habeantur. Tum, quia Synodus Constantiensis admittit conuocationem, & approbationem pro dicto Concilio missam à Gregorio 12. & ipsi gratias refert, optatque, vt idem faceret Benedictus 13. vt constat ex ipso Concilio: ergo non iudicauit absolute ipsum supra Papam authoritatem habere, sed tãtummodo necessitas vniendi Ecclesiam coegit, vt illam Patres assumerẽt ad extirpationem dicti schismatis, bonumque pacis vniuersali Ecclesiæ obtinendum.

27 Ad secundam partem huius asserti dico Concilium nullatenus supra Papam potestatem habere. Probet hanc verissimam assertionem Gallus peritissimus Iurisconsultus Petrus Matthęus supra primam Bullam Pij 2. quæ est retractatio eorum, quæ in Concilio Basiliensi scripserat in minoribus existens Æneas Sylvius, siue ipse Pius 2. in Sum. Cõstitutionum fol. mihi 118. ita habet: *Doctoribus lampadem trado pro discutienda huius quæstionis controuersia; quia multi in dubium reuocant an Papa sit supra Concilium Et quia Pij 2. Constitutio tutissimum nobis offerat Primatus, & Potestatis Pontificis argumentum; pertinatiores tamen contrarium asserentes primæ classis authores consulant huius dubij Summos OEdipodas, qui Potestati Papæ Iuris Diuini, & humani authoritatibus patrocinantur, in quorum numero sequentes referuntur, qui vno veluti gutture, & spiritus instinctu dicunt nullum esse Concilium perfecte OEcumenicũ,*

&

& omni ex parte plenum, à quo D. Petri, aut eius successoris authoritas omnino absit, nec enim perfecta illa ouiũ Christi congregatio videri potest, quam primus ovium Christi Pastor, aut non efficit, aut non approbat. Oviũ enim est sequi Pastorem suum ad Pasca Ioannis 10. & illum quidem, qui primus est omnium maxime omnium sequi. Nec immerito ea præstantissima primatus, & dominij nomina, quæ in Scriptura tribuuntur Christo, unde constat eum esse supra Ecclesiam, eadem omnia tribuũtur Pontifici, ac primum Christus est Pater familias in domo sua, quæ est Ecclesia, Pontifex in eadem est primarius, & Summus OEconomus, & fidelis dispensator, quẽ constituit Dominus super familiam suam, quod nemo nisi schismaticus negare audeat. Subscripsimus Pontificum, Conciliorum, Patrum, & Authorum clarissimorum locos, qui hanc veram, & Orthodoxam tuentur sententiã aduersus sinuosos quorumlibet hæreticorum anfractus.

28 Authores, qui pro Pontificis supra Concilium potestate scripserunt sunt: Leo Epist. 84. ad Anastasium in fine, Gelasius in epist. ad Episcopos Dardaniæ, Nicolaus 1. in epist ad Michaelem, Gregorius lib. 9. epist. 39. ad Theotectam Patritiam, Paschalis Papa, vt habetur cap. *Significasti* extr. de elect. Innocentius 3. serm. de consecrat Pontificis. Bonifacius 8. in extrau. *Vnam sanctam*, tit. de maior. & obedien. S. Bonifacius Episcopus Moguntinus dist. 4. can. *Si Papa*. Concil. Sinuesanum sub Marcellino circa finem. Concil. Rom. sub Syluestro vltimo can. Concil. Chalced. act. 3. & epist. ad Leonem. Octaua Synodus General. act. 7. Concil. Rom. 5. sub Symmacho in approbatione libri Ennodij Dia-

Diaconi. Concil. Lateran. ſub Alexand. 3. cap. *Licet* extrau. de elect. Concil. Conſtantienſe, & Bulla edita conſenſu Concilij per Martinum 5. Lateranenſe vltimum ſub Leone 10. ſeſſ. 11. Hilarius lib. de Synodis. Photius lib. de ſeptem Synodis. Iſidorus lib. 6. Etymologiar. cap. 1. Beda lib. de ſex ætatibus in Conſtantino 4. Freculphus in fine Chronici. Proſper in Chronico Anni 420. Albertus, D. Thomas, D. Bonauentura, Richardus, Paludanus, & alij in 4. diſt. 19. vbi de clauibus agitur. S. Antonin. 3. p. tit. 22. c. 10. § 4. Summæ hiſtorialis, & 2. p. tit. 3. cap. 11. Summæ Theologiæ. Ioannes de Turrecremata lib. 2. c. 93. & 104. Summæ de Eccleſia. Cardinalis Caietanus in tract. de comparatione Papæ, & Conciliorum, & in Apologia pro tractatu prædicto. Dominus Iacobatius lib. 10. de Concilijs art. 7. in quo fuſiſsime quæſtionem diſputat, & ſoluit 63. argumenta aduerſariorum. Albertus Pighius lib. 6. de Hierarc. Eccleſiæ. Albarus Pelagius de Planctu Eccleſiæ lib. 1. art. 6. Thomas Campegius in tract. de Poteſtate Romani Pontificis cap. 22. & ſeq. Franciſcus Ferrarienſis in lib. 4. contra Gentes cap. 76. Auguſtinus de Ancona in tract. de Poteſtate Eccleſiæ. Franciſcus Turrianus in tribus libris, quos de hac quæſtione ſcripſit, Petrus de Monte in lib. de Poteſtate Papæ, & Concilij. Franciſcus Herantius in locis Catholicis circa finem lib. 5. Alphonſus à Caſtro aduerſus hæreſes lib. 1. c. 8. Victoria in Relectione de Poteſtate Papæ, & Concilij. Dominicus à Soto in 4. Sentent. diſt. 20. q. 1. art. 4. Ioannes Antonius Delphinus lib. 2. de Eccleſia, cap. vltimo. Nicolaus San-

Sanderus lib. 7. de vissibili Monarchia, vbi agit de Concilio Constantiensi pag. 540. Antonius de Rosellis in tractatu de Concilijs n. 40. Henricus Boitius in Rubr. Decretal. de Constitut. Cateldinus de Boncompagnis de translat. Concilij Basiliensis. Panormitanus, & Canonistæ fere omnes in cap. *Significasti* de elect. extrau. & cap. *Si Papa* dist. 40. Robertus Bellarminius 4. controuers. Generali de Concilijs, & Ecclesia Militante. Ioannes Scotanus Gessensis lib. disputationum aduersus hæreticos de OEcumenicorum Conciliorum authoritate. Panigerola in lectionibus Catholicis doctrinæ Christianæ.

29 His etiam adde Canum de locis lib. 6. Eximium D. P. Franciscum Suarium de fide disp. 5. sect. 8. Carrançam in summa Conciliorum controu. 3. Barbosam de Iure Eccles. vniuerso lib. 1. cap. 2. ex n. 38. & in Collectaneis ad tex. in cap. *Significasti* de elect. & ad tex. in cap. *Ab Apostolica* de sentent. & re iudicat. in 6. Gregorium de Valent. tom. controu. q. 1. punct. 7. § 4. Dominicum Bañez 2. 2. q. 1. artic. 10. dubitat. 2. Antonium de Diana in appendice 11. partis. Guillelmum Herincx. p. 4. disp. 6. q. 4. Franciscum Bonæ Spei tract. 2. de fide dub. 3. Coriolanū in brebi. pag. 172. & 174. Salcedo lib. 2. de Leg. Polit. cap. 7. Moiam to. 1. select. tract. 6. d. 6. q. vlt. à n. 15. & alios, quos refert Ill. D. D. Gil de Castejō Supremi Senatus, Regijsq; Cubicularis integerrimus Cōsiliarius in Alphab. Iur. D verbo *Pontifex* à n. 14. Et ex Gallis, Sorbonicisque DD. Doct. Duvalium in tract. de Pontifice 2. p. q. 1. Ioannem Leycet de authorit. Pontificis lib. 2. per totum. Brunū Casaing de.

de Priuilegijs Regularium 1.p.tract.1.cap.1. proposit. 2. Petrus de Marca Archiepiscopus Parisiensis in concordia Sacerdotij, & Imperij, ex quo copillauit hanc veram sententiam Stephanus Baluseus. Iacobus Naclantus Clugiens. Episc. tract. de Papæ, & Concilij Potestate.

30 Pro omnibus in medium vnus afferatur natione Gallus, doctrina tamen Catholicus Romanus, Petrus Matthæus in Summa Constitutionū fol. mihi 120. vbi postquā proponit Bullam Pij 2. incipientem *execrabilis*, hæc habet: *Huius constitutionis æquitas multorum tenebrionum, & tumultuantium impetum, & audaciam compescuit, qui in causis fidei à Papa ad Concilium appellare contendunt; ridicula quidem appellatio, quia hac via essemus semper dubij, & langueremus sine vlla spe medicinæ cū tāto rerū impēdio, tātis discriminibus, renitētibus tot Principū simultatibus Concilia vix congregentur. Hinc emanarunt petulātiores homines, qui altius cristas tollerent, hæresesque diuersas somniarent, vt damnati à Papa ad Concilium appellarent. Sic vnius nebulonis, aut apostatæ dementia Patres vndique conuocandi essent, quod nec æquum, nec tolerabile est. Lege tum Pōtificia, tum Ciuili decretum esse scimus appellationem non deuolui, nisi ad Superiorem. L. præcipimus C de appellat & appellationem illam ratam haberi, qua à minori ad maiorem appellatur; appellare autem à Concilio ad Papam, non contra, perspicuū est ex Gelasio in epistola ad Episcopos Dardaniæ* Ad Sedem, *inquit*, Apostolorum de qualibet Mundi parte appellandum est, ab illa autem nemo est appellare permissus.

31 Deinde breuiter nostra, Catholicaque sententia suadetur 1. ex Arist. omniumque Philosophorum recepta doctrina: *Propterquod vnumquodque tale, & illud magis*; sed Concilia, & Ecclesia habent potestatem, firmitatem, & stabilimentum à Papa: ergo magis Papa habet talem authoritatem, estque primum, & præcipuum Ecclesiæ fulcrum, supremumque Iudicium. Confirmatur primo, quia omne, quod tribuit esse, & formam alteri, est superius illo, cui esse, formamque tribuit: sed Papa tribuit esse, & formam Concilio Vniuersali, vt habetur in cap. *Multis* 17. dist. siue conuocando, & confirmando, siue solum confirmando: ergo Papa superior est Concilio. Confirmatur secundo, quia maiorẽ Iudicij, & Potestatis firmitatẽ non possumus membris, quam capiti tribuere, nec maiorem excellentiam, Iurisdictionem, & Potestatem habere possũt, qui subsunt, quam qui præest: sed in Concilijs nullus adhuc Gallus negare ausus fuit Pontifici hanc Potestatem: ergo nec negare possunt Papam superiorẽ esse Concilio Generali.

32 Secundo probatur, quia Sedes Apostolica ligat, & damnat, quidquid Concilia decernunt, vel absoluunt sine eius authoritate congregata, aut continuata, vt patet in Ariminensi, & Ephesino 2. ergo maior est Papæ authoritas, quam Conciliorũ. Præterea quod Concilium rite congregatum per actum, & sententiam ligat, absoluit ex iusta causa Põtifex, vel si exorbitanter se gerant Patres, emendat, vt habetur cap. *Inferior* dist. 21. sed hoc exercere non valeret, nisi supra Concilium authoritatem

ha-

haberet: ergo illa gaudere necesse est. Maior probatur ex epist. Pelagij, cuius pars refertur in cap. *Cuncta per Mundum* 9.q.3. in qua Apostolica Sedes frequenter asseueratur more maiorum ex præcellentia Petro, & successoribus concessa, authoritate insigniri ex soluendi sine Synodo, quos iniqua Synodus damnauerat, & damnandi sine Synodo, quos damnasse oportuit, quod Pelagius exemplis, testimonijsque ab omnibus admissis confirmat. Athanasius enim Episcopus Alexandrinus, & Paulus Episcopus Constantinopolitanus à Concilio depositi ad Iulium Papam appellauerunt, & ab eo in suas Sedes restituti sunt, vt author est Sozomenus lib. 3. Historiæ c. 7. Flauianus Episcopus Constantinopolitanus appellauit à Concilio Ephesino 2. Generali ad Leonē Papam, vt testatur Leo epist. 25. ad Theodosium Augustum. Theodoretus Episcopus Cyri appellauit ab eodem Ephesino Concilio 2. ad eundem Leonem, vt patet ex Liberato in Breuiario c. 12. & ex Epist. Theodoreti, quæ extat ad finem operum Leonis. Ioannes item Chrysostomus à Concilio depositus appellauit ad Innocentium Papam, vt testatur Gelasius in epist. ad Episcopos Dardaniæ, & colligitur ex Epistolis Christiani ad Innocentium.

33 Tertio probatur, quia omnis Pastor est authoritate maior, Iurisdictioneque superior grege, vt naturali lumine constat: sed Papa est Pastor ex institutione Christi, Ecclesia vero grex, iuxta illud Ioannis cap. vltimo: *Pasce oues meas*, & Ioannis cap. 10. *Erit vnum ouile, & vnus Pastor*: igitur Papa superior est Concilio, & Ecclesia; nec enim Pastor nu-

tus gregis, aut ductum ovilis ſpectare tenetur, im mo è contrario grex, & ovile per Paſtorem, vt pote ſuperiorem regitur. Hacque ratione Romanus Pontifex dicitur vocatus in plenitudinem Poteſtatis, quia ſolus ipſe habet à Chriſto ſine limitatione Poteſtatē, in cuius ſignificationem docet Angelicus Docto. in 4. diſt. 24. art. 1. Papam non vti vaculo, ſicut Epiſcopi, quia curbatura vaculi deſignat coartatam Poteſtatem, & ad certum gregem limitatam, quod inconguit Vniuerſali Paſtori, cœteri vero, quamvis Paſtores ſint, quia limitati, ſunt tantū vocati in partem ſolicitudinis, vt inquit D. Gregorius M. relatus in cap. *Decreto* 2. q. 6. igitur omnino à veritate Catholica alienum eſt vniuerſalem Eccleſiæ Paſtorē non eſſe ſupra vniuerſum fidelium gregem, & Chriſti ovile.

34 Præterea, quia multitudo, quamvis ſapientum, & ex toto corde pro bono Eccleſiæ anhelantium congregata facile diſſentire poteſt, vt experientia liquet: ergo neceſſe fuit, vt eſſet vnus ſupremus Iudex, ſummaque Poteſtas, qui cōtrouerſias inter tot eximios Patres exortas componere poſsit. Hic vero nunquam creditus fuit Antiochenus, Alexandrinus, Conſtantinopolitanus, Toletanus, Braccarenſis, Mediolanenſis, aut Pariſienſis, nec vllus alius ex tota Eccleſia, ſed ſolum fuit Epiſcopus Romanus, de quo orthodoxorum Patrum concors ſententia veneratur, quod ſolus ipſe potuit, poteritque ſemper controuerſias in Concilijs exortas componere, certas regulas ſtatuere, & ſine Concilio quid tenendum ſit determinare. Nā Concilium Lugdunenſe, vt habetur

betur in cap. *vbi periculum de elect.* in 6. Pontificem vocat Rectorem vniuersalis Ecclesiæ; ergo si Concilium Ecclesiam Vniuersalem repræsentat, non minus, nec minori Iure erit Rector Concilij. Conciliũ Rom. sub Syluestro can. 3. & 20. Concil. Rom. sub Symmacho, Octaua Synodus Generalis Act. 7. Lateranense sub Alexand. 3. Chalcedonense, & Constantiense id ipsum ostendunt, dũ definiunt, quod Papa est caput Ecclesiæ, & quod Papa habet supremam authoritatem in Ecclesia, quam quidem habere nõ posset, si supra Papam Concilium haberet Iurisdictionem; tunc enim suprema Potestas esset in Concilio. Et constat ex Concil. Chalcedonensi epist. ad Leonem, vbi fatentur Patres Conciliares Pontificem esse caput Concilij ibi; *Quibus tu, vt caput praeeras*. Et D. Gelasius lib. de anathemate super acta concilij Chalcedonensis ait: *Totum in Apostolicæ Sedis positum est Potestate, ita quod firmauit in Synodo Sedes Apostolica, hoc robur obtinuit, quod refutauit, habere non potuit firmitatem, & sola rescindit, quod præter ordinem congregatio Synodica putauerat vsurpandum*; & Magnus Leo ad Imperatorem Theodosium ait: *de Iudiciali autem in Papam sententia, de qua agit præsens dictatus, de Eusebiana factione, Dioscori, & Phocij audatia, & de Sextæ Synodi in Honorium decreto, &c.* D. Gelasius in epist. ad Faustum, & ad Episcopos Troyanos, vt refert Ennodius in Apologia Symmachi Papæ ita habet. *Aliorum forte hominum causas Deus voluit homines terminare, sed Sedis Romanæ Præsules suo sine quæstione reseruauit arbitrio. Voluit B. Petri Successores cœlo tantum debere innocentiam, & subtilissimi discussoris* in-

indagine inuiolatam exhibere conscientiam. Quod constanter, diffuseque asseueratur a S. Auito Archiepiscopo Vienensi; & S. Iuo Episcopus Carnotensis cõuocatus à Synodo Ausana contra Paschasium 2. ita ait: *Non possumus eas personas, contra quas agitur, condemnare, vel Iudicare, quia nec nostro, nec vllius hominum probatur subiacere Iudicio.* Cui cõsentit Daimbertus Metropolitanus Senodiensis. Quod etiã fuit perpetua Religione custoditum à Clero Gallicano, vt euidenter conuincit Petrus de Marca Archiepiscopus Parisiensis lib. de Sacerdotij, ac Imperij cõcordia, cuius mentem recopillauit Stephanus Balusius in hæc verba: *Persona Pontificis à nemine Iudicatur ex Synodo Romana sub Symmacho, & ex Ennodio. Eadem Ecclesiæ Gallicanæ sententia Romanum Pontificem à nemine Iudicandum professus est Carolus M. & cæteri Galli in Synodo Romana*; & addit: *Sane in hac causa hæreseos publicè professæ est schismatis, quin de Romano Pontifice fieri possit Iudiciũ, nullus vnquam scriptor dubitauit, quamuis sententiam malint declaratoriã dici, quam condemnatoriam.* Hac tandem ratione Carolus 7. Franciæ Rex quamuis decreta Conciliabuli Basiliensis admisit, nũquam tamen depositionem prætensam Eugenij 4. & intrusum Fœlicem adorauit, semper permanens in vera Eugenij 4. obedientia.

35 Vltimo suadetur nostra conclusio, quia iuxta Cleri Gallicani declarationem statutis Conciliorum Spiritu Dei conditis, & Patrum sententijs totius mundi reuerentia consecratis tenetur Pontifex obtemperare: ergo etiam illis quilibet fidelis, immo

immo, & tota fidelium congregatio obedire tenetur: sed Patres, & Concilia constanter vno veluti gutture tuentur Papam supra Concilium habere Potestatem: ergo credere tenentur omnes Christi fideles Papam supra Concilium Potestatem habere. Minor probatur ex Concilio Lateranensi sub Leone 10. sess. 11. vbi in Bulla incipiente *Pastor æternus* loquens de pragmatica sanctione Gallica hanc Potestatem Pontificis supra Concilia statuit, cuius verba referre necesse existimaui, quia in illis præcipua Conciliorum loca adducuntur. Ita ergo dicit: *Et sicut piæ memoriæ Leo Papa primus prædecessor noster, cuius in hoc libenter, quoad possumus, vestigia imitamur, ea quæ in 2. Ephesina Synodo temere contra iustitiam, & Catholicam fidem gesta fuerunt, post modũ in Chalcedonensi Concilio mandauit, ac fecit pro dictæ fidei firmitate reuocari: ita & nos à tam nefariæ sanctionis, & contentorum in ea reuocatione, retrahi, aut desistere, salua conscientia, ac nostro, & ipsius Ecclesiæ honore non posse, aut debere censemus, nec illud nos mouere debet, quod santio ipsa, & in ea contenta in Basiliensi Concilio edita, & ipso Concilio instante à Bituricensi congregatione recepta, & acceptata fuerunt, cum ea omnia post translationem eiusdem Basiliensis Concilij per Re. me. Eugenium Papam 4 etiam prædecessorem nostrum factam à Basiliensi Conciliabulo, seu potius conuenticulo, quæ præsertim post huiusmodi translationem Concilium amplius appellari non merebatur, facta extiterint, ac propterea nullum robur habere potuerint: cum etiam solum Romanum Pontificem pro tempore existentem, tanquam authoritatem super omnia Concilia habentem, Concilio-*

rum

rum indicendorum, transferendorum, ac dissoluendorum plenum Ius, & potestatem habere, ne dum ex Sacrae scripturae testimonio, dictis SS. PP. ac aliorum Romanorum Pontificum etiam praedecessorum nostrorum, Sacrorumque Canonum decretis, sed propria etiam eorundem Cōciliorum confessione manifeste constet, quorum aliqua referre placuit, reliqua vero vtpote notoria, silentio praeterire. In Alexandrina enim Synodo Athanasio ibidem existente Faelici Romano Pontifici ab eadem Synodo scriptum fuisse legimus, Nicaenam Synodum statuisse, non debere absque Romani Pontificis authoritate Concilia celebrari. Neque nos latet etiam eundem Leonem Pontificem Ephesinam 2. Synodum ad Chalcedonensem transtulisse. Martinum etiam Papam 5. praesidentibus suis in Concilio Senen. potestatem transferendi Concilium, nulla consensus ipsius Concilij mentione habita, dedisse. Ephesinam quoque primam Synodum Caelestinū, ac Chalcedonensem eidem Leoni, Sextā Agathoni, Septimam Adriano, Octavam Nicolao, Octauam etiam Constantinopolitanam Synodum Adriano Romano Pontifici praedecessoribus nostris maximam reuerētiam exhibuisse, eorundemque Pontificum institutionibus, & mandatis in Sacris Concilijs per eos editis, & factis, reuerenter, & humiliter obtemperasse. Vnde Damasus Papa, & caeteri Episcopi Romae congregati, scribentes de Concilio Ariminensi Episcopis in Illyrico constitutis, praeiudicium aliquod per numerum Episcoporum Arimini congregatorum fieri non potuisse testantur: quando quidem constet Romanum Pontificem, cuius ante omnia decebat spectari decretum, talibus non praebuisse consensum: eundemque Leonem Pontificē vniuersis Siciliae Episcopis scribentem

bentem, idem voluisse apparet Consueveruntque antiquorum Conciliorum Patres, pro eorum, quæ in suis Concilijs gesta fuerunt, corroboratione, à Romanis Pontificibus subscriptionem, approbationemque humiliter petere, & obtinere prout ex Nicæna, & Ephesina, ac Chalcedonensi huiusmodi, & sexta Constantinopolitana, & septima eadem Nicæna, & Rom. sub Symmacho Synodis habitis, earumque gestis, necnon in Himari libro de Synodis manifeste colligitur, quod etiam nouissimè Constantienses Patres fecisse constat.

56 Quod etiam in OEcumenico Tridentino Concilio maturè deliberatum, & determinatū est, quando quidem PP. Concilij totum illud subordinarunt, supposueruntque Pontificiæ Potestati, vt constat ex vltima sess. in fine ibi: *Confirmatio nomine Sanctæ huius Synodi per Apostolicæ Sedis Legatos, & Præsidentes à Sanctissimo Romano Pontifice petatur? Responderunt, placet.* Agnoscentes Patres tanti Concilij firmitatem illius à Sedis Apostolicæ nutu pendere, à qua robur, & firmitatem accepit Concilium per conuocationis authoritatem, & per Bullas confirmationis, quæ in actis illius Concilij leguntur, & Carolus Cardinalis Lotaringię, qui secutus fuerat aliquando Conciliabulum Basiliense, retractauit suam sententiam, & confessus fuit Pontificis authoritatē supra Concilium in Concilio Tridentino, vt refertur in Historia eiusdem Concilij lib. 9. cap. 6. & cap. 13.

57 Hæc suprema Pontificis potestas ex eo prouenit, quia Christus D. totius Ecclesiæ primatū Petro commisit, quæ dignitas in æternum in Eccle-

sia residet; sed in nullo alio potest residere, quam in Successore in Cathedra D. Petri, qui est Romanus Pontifex immediatus Christi Vicarius successor Petri eandem ac Petrus habens potestatem; quæ omnia apud Catholicos in comperto debent credi, cũ de fide statuantur à primis Ecclesiæ tẽporibus traducta vsque ad hæc infælicia, in quibus Pseudo Catholici aliqui non erubescunt detrahere Sanctæ, supremæque Sedis authoritati. Quod in Iure definitũ extat, & in multis PP. sententijs agnitum, decretis Conciliorum, Pontificum decretalibus epistolis relatis à Gratiano tota dist. 12.17.19.20.21. & 22. c. *Vrbem* 80. dist. c. *Bene quidem* 96. dist. & 24. q. 1. & 25. q. 2. per multa capita, c. *Significasti* de elect. vbi dicitur: *Omnia Concilia per Romanæ Ecclesiæ authoritatem facta sunt, & robur acceperunt.* cap. *Vbi periculum* eodem tit. in 6. cap. *Maiores* de Baptismo, cap. *Antiqua* de priuilegijs, cap. *Et illud* de maiorit. & obed. in extrau. *Vnam sanctam* eodem tit. Et ita manifeste definitum fuit in Constantiensi Concilio contra Vviclefc. sess. 8. & sess. 15. vbi definitum fuit Romanum Pontificem esse verum successorem Petri. Et Martinus 5. in interrogationibus, quas fieri iussit suspectis in fide, hanc addidit: *Vtrum credant, quod Papa canonice electus, & rite intronizatus, qui pro tempore fuerit, sit Successor B. Petri supremam habens Potestatẽ in Ecclesia Dei?* Quod, vt obseruat Turrecremata, nõ compatitur cum authoritate Concilij supra Papam, alias Papa suprema non gauderet potestate, si quidẽ supra ipsum adhuc Cõcilium potestate indueretur. Si tamen Papa habẽs supremam authoritatem, legi-

gibus Concilij subijceretur, inferioris decisionibus stare teneretur contra tex. in c. *Inferior.* dist. 21. ibi: *Non potest quisquam, qui inferioris authoritatis est, eũ, qui maioris est, proprijs subijcere definitionibus.* Interim vide, quæ mira eruditione affert Cano lib. 6. de locis cap. 5. Turrecremata lib. 2. Summæ cap. 35. Caietanus in opusc. de primatu Ecclesiæ Romanæ c. 12. Bellarm. lib. 2. de Rom. Pontif. cap. 12. Albertus Pighius lib. 2. de Ecclesiast. Hierarch. per totum. Isidorus Mosconius de Maiestate Militantis Eccles. p. 1. c. 1. fol. mihi 20. Franciscus Botius Eugubinus de temporali Ecclesiæ Monarchia 1. p. lib. 1. c. 6. Seuerinus Vinius in tract. de primatu Ecclesiæ Rom. 1. tom. Conciliorũ, plurimique alij coagulati à Barbosa in Collect. ad prædictos textus, & lib. 1. de Iure Ecclesiast. vniuerso c. 1. & 2.

38 Ex quibus manifeste constat, Concilia generalia omnia de hac controuersia sermonem instituentia constanter fateri pontificem supra Concilium à Christo D. potestate insigniri; ergo tenentur nouatores Galli huic Sacrorum Conciliorum concordi decreto conformari, si tamen SS. PP. Summis pontificibus, atque saniori DD. intelligentiæ fidem præstare renuunt, credant ergo Concilijs OEcumenicis, & nostram, atque Catholicam vnanimiter profiteantur sententiam. Audiant ergo Synodum Romanam sub Adriano 2. aduersus Phocium dicentẽ: *Intollerabilis est ista præsumptio, & hanc aures præcordiorum sustinere non possunt. Quis vnquam vestrum tale quid audiuit? Aut quid huiusmodi temeritatis immensitatẽ saltem lectione inuenit? Si quidem Romanum*

Pontificem de omnium Ecclesiarum præsulibus iudicare legimus; deo vero quemquam Iudicare non legimus, licet enim Honorio ab Orientalibus post mortem anathema sit dictum, sciendum tamen est, quia fuerat super hæresi accussatus, propter quam solum licitum est minoribus maiorum suorum motibus resistere, vel prauos suos sensus libere respuere. Quamuis, & ibi nec Patriarcharũ, nec cæterorum Antistitum cui piam de eo quamlibet, fas fuerit, proferre sententiam, nisi eiusdem primæ sedis præcesit authoritas. Idem etiam habetur in 8. Synodo can. 21.

SECTIO V.

Contraria argumẽta breuiter attingũtur, & diluuntur.

39 Ioannes Gerson 10. considerat. de potestate Ecclesiæ, qui, vt notat Duvalius tract. de Roman. *P*ont. potest. p. 2. q. 1. tẽpore schismatis scripsit, & Franciscus de Vitoria relect. 4. prop. 5. ait: *Ille Doctor per omnia fuit infestus authoritati Summorum Pontificũ, & multos alios infecit suo veneno; parum enim differt à schismate eius sententia.* Idem dicit Caietanus opusc. de authorit *P*apæ capit. 10. quem sequitur Abulensis in defensorio 2. p. c. 70. & pluribus alijs, eo quod in Concilio Constantiensi Schismaticæ doctrinæ vinculo potius, quam veritatis amore fuerint copulati, qui caute legendus notatur à pluribus, & à nobis minime audiendus: quos sequitur Almainus, & Adrianus Pontificiæ dignitatis peruersores, Ioannes Maior in comment. 4. sentent. dist. 24. & in Comment. in Matth. cap. 18. Licet pluribus

bus argumentorum nebulis nostram intendant veram labefactare sententiam; breuitatis causa solum quæ, aliquam videntur ingerere difficultatem, proponam; sit ergo illorum primum argumentum. Ecclesia est corpus, cuius fideles membra sumus: ergo Pontifex est huius Mistici corporis membrum; sed totum est maius sua parte, & corpus ampliori potestate fulcitur, quam quodlibet membrum in particulari: ergo Ecclesia, aut Concilium generale in illa repræsentatum authoritate, & iurisdictione maius est Romano Pontifice, quod est vnicum, licet principalissimum membrum. Assumptum suadent ex D. Hieronymo relato à Gratiano in cap *Legimus* 93. dist. ibi: *Si authoritas quæritur Orbis, maior est Vrbe*, idest authoritas Ecclesiæ vniuersalis maior est, quã authoritas Romanæ Ecclesiæ, vel Papæ. Præterea, quia Pontifex ab aliquo exerceri, & Iudicari debet, si delinquat: sed à nullo alio, nisi à Concilio generali vniuersalem Ecclesiam repræsentante: ergo, &c. In quo argumento multum fidit Gerson considerat. 7.

40 Respondeo, quod membrum potest esse superius corpore in potestate iurisdictionis, quia tale exercitium, & vsus non est totius corporis, sed alicuius illius partis, vel membri: sicut vissibiliter percipere solum competit occulis, rationeque illorũ corpus humanum dicitur videre; ita ratione capitis habet regere Ecclesia Dei, quod ex eo manifeste apparet, tum, quia Christus Petro, & non Ecclesiæ suam tradidit potestatem, iuxta illud Ioannis vltim. *Pasce oves meas*. Tum, quia licet in Principe sæculari potestas

testas deriuetur à corpore in caput, & ita etiam in corpore Regalis potestas reperiatur; in Ecclesia vero spiritualis potestas non ab Ecclesia, sed à Christo dimanat, & ita solum in Christo inueniri necesse est, non vero in ipsa Ecclesia. Præterea Christus D. Ecclesiæ membrum ab Apostolo 1. Chorinth. 12. prædicatur ibi: *Vos estis corpus, & membra de mẽbro*, & Glos. exponit, *membra dependentia à membro principali, quod est Christus:* hacque irrefragabili ratione Apostolus ad Ephes. 1. dicit: *Christum esse Ecclesiæ caput*; & iuxta D. Thomam Christus dicitur membrum, prout ab alijs mẽbris importat distinctioné, tàm perfectione, quàm officio; perfectione, quia in Christo est vniuersaliter omnis gratia, iuxta illud Ioannis 1. *Plenum gratia*, quod in alio membrorum non reperitur; officio, quia alijs spiritualem vitam, supernaturaliaque dona communicat, & tamen impium, blasfemum, atque hæreticum est dicere Christũ D. non esse supra Ecclesiam, ex eo quod Ecclesiæ membrũ sit, ergo idem de Christi Vicario dicendum erit ratione Potestatis à Christo D. ei concessæ: Summus enim Pontifex in iurisdictionis Potestate non est Ecclesiæ membrum, prout importat partialitatem, quia Potestas in eo non est particularizata, sed plena, suprema, integra, & illimitata, dicitur tamen membrum, prout distinctionem à cæteris importat, & ab alijs Ecclesiæ membris duplici notoria differétia discriminatur; primo perfectione, secundo officio; perfectione, quatenus plenitudine potestatis instruitur; officio, in quantum Summus Pastor in totum Ecclesiæ corpus Iurisdictionis potesta-

i communicat, vt habetur in cap. *Ita Domi-* dist.

r Ad D. Hieronymi authoritatem faci olutio animaduertens, quod ibi loquebatur S. r contra consuetudinem, quæ Romæ tũc tem igebat, iuxta quam aliqui Diaconi præfere-r Præsbyteris, ex quo Romano vsu alij Diaco-per Orbem dispersi occasionem arripuere an-endi in maioribus ordinibus constitutos, ad ı consuetudinem funditus euertendam D Hie m. ad Episcopum Euand. scribens ait: *Quid mi-ofers vnius Vrbis consuetudinem, quid paucitatem, ıa ortum est supercilium in Ecclesia leges vindicas? ıe quod rarum est, plus appetitur, Pullegium apud ıs pipere preciosius est, Diaconos paucitas honorabi-acit, Præsbyteros vero turba contemptibiles reddit.* quibus verbis liquido constat Hieronymum nõ qui de authoritate potestatis, vel iurisdictionis to-is Orbis, nec Ecclesiæ respectu Papæ, sed de sola onsuetudinis authoritate, quæ eo maior iudicatur, uo pluribus vtentium suffragijs fulcita ostenditur: acque ratione totius Orbis consuetudo venerabi-ior erit, & maioris authoritatis, quam vnius vrbis, quantumvis Romanæ. Quæ doctrina suaderi potest ex cap. *Hæc est fides* 24. q. 1. & ex tex. in cap. *In Canonicis* 19. dist. Eamque tradit Turrecremata lib. 2. Sũmæ de Ecclesia cap. 38. in fine.

42 Ad id, quod additur de iudicio supra Papam, respondeat Concilium Sinuesanum, dicens: *prima Sedes à nemine iudicatur*; quod etiam refert Nicolaus I. in epist. ad Michaelem Imperatorem; similiterque

terque Concil. Roman. ſub Syluestro can. 18. ibi: *Nemo iudicauit primam Sedem, quoniam omnes Sedes à prima Sede iuſtitiam deſiderant temperari.* Cuius etiã Canonis mentionem fecit Nicolaus. Concilium etiam Rom. ſub Adriano, cuius verba refert 8. Synodus General. act. 7. ibi: *Romanum Pontificem de omnium Eccleſiarum Præſulibus iudicaſſe legimus, de eo vero quemquam iudicaſſe non legimus:* Prætetea Nicolaus Papa ad Patriarchas, & Orientales Epiſcopos ita habet: *Sedes Petri à nemine iudicatur, niſi ab eo, qui illi claues dedit.* Vvazus celeberrimus Leodienſis Epiſcopus epiſt. ad Imperatorem Henricum 3. ita alloquitur: *Conteſtantibus tàm diuinis legibus, quàm Eccleſiaſticis decretis à nemine, niſi à ſolo Deo Iudicari debet Chriſti Vicarius.* Vnde Concil. Chalcedon. in epiſt. ad B. Leonem concludit. *Rogamus igitur, & tuis decretis noſtrum honora iudicium, & ſicuti nos Capiti in bonis adiecimus conſonantiam, & ſummitas tua filijs, quod decet, adimpleat.* Tandem Romana Synodus Epiſcoporum Italiæ, & Franconiæ cum proponerentur in examen delicta Leonis 3. vniformi voce conclamavit: *Nos Sedem Apoſtolicam, quæ eſt caput omnium Dei Eccleſiarum, iudicare nõ audemus, nam ab ipſa nos omnes, & Vicario eius iudicamur, ipſa autem à nemine iudicatur, quemadmodum, & antiquitus mos fuit.*

43 Secundum argumentum: Eccleſia vniuerſalis omnium fidelium Mater prædicatur, iuxta illud Eccleſiaſtici 24. *Mater pulchræ dilectionis,* & Pauli ad Galat. 4. *Illa autem, quæ ſurſum eſt Ieruſalem, libera eſt, quæ Mater noſtra eſt:* ergo Papa filius Eccleſiæ dici debet: Tunc ſic, ſed abſurdum eſt filium

eſſe

esse supra Matrem, & consentaneum naturæ, Matrẽ habere potestatem supra filium: ergo Ecclesia, quæ Mater est, debet authoritatem habere supra Papam, tanquam supra eius filiũ. Assumptum suadent ex D. Bernardo lib. 4. de considerat. ad Eugen. circa finẽ, ibi: *Consideres autem super omnia S R. E, cui, Deo authore, praees, Matrem esse, non dominam, te non dominũ Episcoporum, sed unum ex eis.*

44 Respondeo, Summum Pontificẽ esse Ecclesiæ Patrem, simulque filium, vt constat ex Euaristo Papa epist. 2. quæ est de Episcopis electis, vbi postquam dixit Christum esse Ecclesiæ sponsum subdit, *& Ecclesia sponsa, cuius Nos filij sumus.* D. Hieronymus epist. ad Demetr. c. 9. D. Bernard. lib. 2. de Consider. ad Eug. c. 6. ibi: *Paternam tibi vendica hæreditatem, nam si filius, & hæres.* Dionys. Cartusian. lib. 1. de authoritate Papæ art. 22. Antonius Mazzarron tract. de tribus Coronis Pontif. Romani c. 3. hanc filiationem demonstrat in Papa, cuius mẽtem ita à Diana to. 11. tract. de Adorat. Summi Pontificis resol. 15. explanatam inuenies ibi: *Mazzarronius huc aduocat mulierem Ægyptiam tribus Regijs Coronis decoratam, vt exhibeatur fuisse filiam, vxorem, ac Matrem Regis, quod refert ex Pierio*; adaptatque ad Ecclesiam Vicarij Christi filiã, & sponsam, ac Matrem, licet alio *Tyara*, aut triplex illa Corona tendat, nempe ex triplici mundi parte Ecclesiæ subiecta: ideoque instanter supplicationibus Rex noster Philippus 3. & 4 supplicarunt, vt Sãctissimus quartam superadderet Coronam propter nouam mũdi partẽ Americam, sub Ecclesia, eiusque Pastore fideli His-

panorum sudore genitam. Hæc veritas ostenditur ab Abulensi authoritate D.Cypriani sufultoin Proœmio super Matthæum q.9.ibi: *Non potest Deum habere Patrem, qui Ecclesiam non habuerit Matrem.* Pro hac veritate stabilienda tàm authoritate DD, quàm efficacissimis rationibus videre sufficit Illust.& Excell. M.N Fr.Paium de Riuera in explicatione Apologetica 2.propositione.

45 Itaque in diuerso sensu Pontifex est filius Ecclesiæ, & Pater Ecclesiæ; est Ecclesiæ filius, quatenus per Baptismum omnes sunt regenerati filij Dei, & per consequens consortes naturę Diuinatis, vt inquit D.Petrus epist.1.c.1.quod explicat P.August.super Psal.127.ibi: *Quo modo mater eius est Ecclesia, nisi quia ipse Christus est in Christianis, quos per Baptismum continue parit Ecclesia.* Et in hoc sensu Christus dictus fuit Sinagogæ filius ex sententia Glossæ ad c.1.Iob, ad illa verba. *Nudus egressus sum de vtero Matris meæ*; super quæ ita ait; *Mater Christi Sinagoga est.* Pontifex dicitur etiam Ecclesiæ Pater, non tantum eo modo, quo Apostoli ita fuere appellati, vt habetur in c. *Quorum vices* 68. dist. sed alio specialissimo titulo, vt aduertit D.Bernardus in epist. ad Ciuitatem Pissanam, in qua de Innocentio ita loquitur: *Honora tuum, & vniuersitatis Patrem.* Ecclesia Romana Mater omniũ fidelium dicitur in Gloss. ad c.7.Marci, quia est fidei Magistra, per quam efficimur filij Dei, vt habetur in cap *Omnis* dist.22. & quia est omnium Ecclesiarum Mater, vt exprimit Calixtus Pontifex in c. *Non decet* dist.12. Igitur infirmum est argumentum in maioritate Ecclesiæ in

ra-

ratione Potestatis, ordinis, & Iurisdictionis ex eo, quod Ecclesia Mater Pontificis appelletur, cum ex aduerso Pontifex etiam Ecclesiæ Pater dicatur. Tandem inepta est hæc consequentia: est Mater: ergo est superior: Christus enim D. fuit filius Sanctissimæ, semperque Virginis Mariæ, & nemo nisi impiè, blasfeme hæreticus auderet dicere Matrem superiorem esse filio: ergo cum Potestas Christi Vicaria liter irradiet in Romano Pōtifice, eadem analogia dici debet Romanum Pontificem authoritate iurisdictionis maiorem esse Ecclesia sua Matre, vt optime aduertit Turrecremata lib. 2. Summæ cap. 86.

46 Ad D. Bernardi authoritatem dicentem Romanam Ecclesiam non esse Dominam, nec Sūmum Pontificem Episcoporum Dominum, sed vnum ex eis, tam difficile, immo impossibile visum fuit respondere Archidiacono in c. *Fideli* de Summa Trinitate, & Fide Catholica lib. 6. vt apposito hoc testimonio contrarium tueatur per hæc verba: *quid quid Bernardus dicat*, Ecclesia Romana domina nūcupitur in cap. *Opportebat* 72. dist. cum eademque difficultate pertransijt Turrecremata lib. 2. Summę c. 87. sed hoc non est solutionem adhibere Sanctissimo D. Bernardo, sed eius authoritatem eleuare, quare vt religiose respondeamus, distinguēdum est inter significationem *Dominatus*, quæ potest accipi primò pro authoritate, & maioritate iurisdictionis, & potestatis in ordine ad regimen temporale saltim indirecte, & directe in ordine ad regimen spirituale, & in hoc sensu hæreticum est affirmare dominatū non esse penes Romanum Pontificem, quod proba-

tur ex tex.in c. *Nolite errare* dist. 11. cap. *Oportebat* dist. 79. quia in significatione, & analogia Summus Pontifex Christum repræsentat, & Dominus est. Secundo accipi potest *Dominatus* respectu dominij totalis, quod dominus habet in seruos percipiendi, & disponendi ad libitum, quod dominium, nec in personas, nec in res fidelium competit Romanæ Ecclesiæ, nec eius sponso Summo Pontifici, vt docet Angelicus Præceptor 1. p. q. 96. art. 4. Turrecremata vbi supra, Victoria de potestate Papæ relect. 1. in princip. in qua hoc duplex dominium latè fundatū docet contra Canonistas. Ex quo facilis est solutio ad authoritatem D. Bernardi, nempe, quod dominium totale, quod Græce dicitur *despoticum*, nec residet in Ecclesia, nec in Pontifice, quia Deus illum non instituit ad elationem, & superbiam, sed ad curam, & ministerium fidelium, iuxtà illud Matth. 20. *Scitis quia Principes gentium dominantur eorum, & qui maiores sunt, potestatem exercent in eos.* Et in eodem cap. *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare.* Quæ verba arripiens idem Melifluus Doctor epist. ad Eugen. ait: *Si Christus te misit, æstimabis te nō ministrari, sed ministrare venisse. Et ministrare non solum substantiam, sed ipsam quoque animam. Verus Successor Pauli dicet cum Paulo, non quia dominamur Fidei vestræ; sed auditores sumus gradij vestri. Petri hæres audiet Petrum dicentem, nec vt dominantes in Clero, sed forma facti gregis:* ergo Mellifluus D. solū negat in Pontifice, & Ecclesia dominium totale, & despoticum, non vero dominium authoritatis, maioritatis, iurisdictionis, & potestatis, tàm ad regimen spirituale, quā temporale.

Ter-

47 Tertium argumentum: ille intelligitur superior, ad quem in extremo casu reus iudicandus mittitur, vt constat in appellationibus, maius enim tribunal vltimum est; sed in extremo casu reus non ad Papam, sed ad Ecclesiam mittitur: ergo Ecclesia maior est Papa. Minor suadetur ex Matth. c. 18. Vbi Christus Petro, qui futurus erat Summus Pōtifex, ita ordinem iudicialem describit: *Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum, &c.* & post pauca: *Si te non audierit, dic Ecclesiæ; si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus, & Publicanus*: ergo ex Christi doctrina constat à Petro ad Ecclesiam tanquam ad vltimum subsidium, & supremum tribunal recurrendum esse.

48 Hoc argumentum fuit præcipuum fulcrum Vvicleffistorum, & Vvaldensium, aliorūque Catholicorum, licet spiritu schismatico ex assistentibus in Concilio Basiliensi, & Constantiensi, quos recte pariter, ac docte impugnat Card. Turrecremata lib. 2. Summæ de Ecclesia c. 81. & Emin. Caietanus de Comparatione authoritatis Papæ, & Concilij à c. 2. pluribusque alijs in locis. Quo argumento, quod Achiles est aduersariorum, vtitur frequēter Abulensis; facile tamen obiter nunc dissoluitur, aduertendo Christum D. ibi loqui de correctione fraterna, fuisseque præceptum datum Petro tanquam cuilibet alio fideli, vel discipulo, antequam Christus D. Petro vniuersalem gregem committeret. Deinde certum est verbum illud *Ecclesiæ*, non debere accipi de vniuersali Ecclesia per Orbem diffusa, quia impossibile est, quod reus fieret peccator coram

tota Ecclesia, perquam obiurgationem fraternã nõ audiuit, nec etiam *Ecclesiæ* posse intelligi de Ecclesia in vniuersali Concilio congregata, cũ valde difficile sit spectare Concilium vniuersale, vel totius Ecclesiæ congregationem, vt iudicãdum sit de peccatore obdurato, aut incorrigibili; quare illa verba: *dic Ecclesiæ* intelligi debent de Ecclesia particulari, Episcopo, Prælato, aut Iudice ordinario, qui illi præest, ita P. August. Hieronym. Chrisostomus, & alij SS. PP. quos refert, & sequitur Glos. ordinaria ad illum locum. Vnde ibi dicit D Hieronymus: *Hic potestatem tribuit Apostolis, Prælati ergo vniuersitatum sunt, ad quos tanquam ad Iudices fideles remittuntur, non ipsæ vniuersitates* Chrisostomus ita intelligit *dic Ecclesiæ*, idest his, qui Ecclesiæ præsunt, quem sensum communiter agnoscunt DD. cum D. Thoma in tract. de correct. fraterni, & Glos. in c. *Si peccauerit* 19. 2. q. 1. Deinde, si hoc argumentũ probaret, multum probaturum eadem authoritate conuincitur, nam esset Petrus vt summus Ecclesiæ Pastor inferior quolibet Ecclesiæ particulari Prælato; nam si peccaret in fratrem, posset recurri ad Ecclesiam particularem, vel ad Prælatum illius: igitur ex cõmuni DD. sensu apparet præceptum illud de correctione fraterna fuisse Petro, vt discipulo, & non vt vniuersali Ecclesiæ Præsuli intimatum, vt late ostendit Turrecremata, & Caietanus, & erudite Iacobus Naclãtus in 1. scrupulo, in quibus non immoramur, vtpote quia omnis fundamentalis doctrina his accommodanda in ipsis doctissime explanata inuenietur.

SEC-

SECTIO VI.

Tertium Cleri Gallicani assertum impugnatur.

49 Ex duplici antecedenti statuto quasi per deductionem à Clero Gallicano duo inferuntur, ita denotat verbum illud *hinc*. Primum, vsum Sedis Apostolicæ moderandum esse per Canones; secundū, regulas, & instituta à Regno, consuetudinesque Gallicanas inuariabiliter debere stabilitatem obtinere: si tamen ex illo duplici antecedenti, vt vero præsupposito hæc colliguntur, per destructionem illorum, vtpote arenosi fundamenti, & totius elationis potius, quam illationis fabrica, ita corruet, vt nec ruinarum vestigium in sapientum conspectu permaneat; breuiter tamen deductio impingitur.

50 Quoad primum, scilicet, vsum Sedis Apostolicæ moderandum per Canones, vel intelligitur directiuè, vel coactiuè; certum namque est directiuè Sūmum Pontificem debere per Cànones tanquam per regulas practicas rationis dirigi, immo de sapientum, & prudentum consilio facere, & expedire, voluntatéque suam ratione, atque Canonū præscripto metiri, licet Pontifici vt supremo Principi subiaceat omne, quod voluerit in Ecclesiasticis dispositionibus iuxta *L. Divi fratres D. de Iure Patronatus, L. Ex Imperfecto C de testament. L. Ex imperfecto 23. D. de Legatis* 3. ibi: *Decet enim tantæ maiestati eas seruare leges, quibus ipse solutus esse videtur. L. Humanum, L. Digna vox C. de Legib.* & in §. fin. *Institutæ Quibus modis testamenta infirmentur*, quod obseruat

Ca-

Cassiodorus lib.1.variar.epist.12.& lib.6.epist. 19. & lib.8.epist.9.D.Gregor.lib.11.epist.29. quæ etiã habentur in c.*Peruenit* 1.dist.84.c. *de quibus vltimo* distinct. 20.cap. *Excellentissimus* 102. 11. quæst. 3. cap. *visis* 16.quæst. 2. His accedunt quatuor textus obseruati ab Antonio Monatio in notis ad L. *Illud* 40.D.de petit.hæredit.ad probandum in qualibet re dubia peritiores,& sapientiores esse consulendos. Primus est in *L Si Auiam* 3.C.de Ingen. manumi. ibi: *Si cum peritioribus tractatum habuisses, facile cognosceres*. Secundus in L. 2.§ fin. D.quis ord. in bon.posse.seru.ibi: *Scilicet consulẽdo prudentiores, vt diligentem Patrem familias consulere dignum sit*. Tertius in L.5.C de his qui accusare possunt. Quartus in vulgari, L.*Regula* D.de Iuris,& facti ignor. circa quæ videnda sunt, quæ docte notat Tiracuel.de pœnis tempor.caus.11.n.21.Bobad. lib.2.politicæ c. 6.n.7.Ludouicus Schrader 1.p.consil. 2. Menoch. de arbit.lib.1.q.23.

51 Rationis naturalis dictamine, tanquã primo principio Pontifex, aut Princeps ad Legis obseruantiam dirigitur,& ita præceptis subijcitur, vt eleganter notat Plutarchus in lib.de Regno, ibi: *Lex Principi imperatrix erit, non illa quidem, aut libris extrinsecus scripta, aut in tabulis, sed animata intus in ipsa ratio, semper cum eo conuersans, eiusdemque obseruatrix, quæque eius animam nunquam sinit sine tutela sui esse viuendum*. Ratio naturalis, tanquam omnibus superior Principibus imperat, quia eam non accipimus, nec legimus, sed hausimus, ad quam non docti, non instituti, sed imbuti sumus, vt ait Cicero pro Mi-

Milone. Quæ cum dux sit, omnibus sine controuersia imperat, vnde licet vi coactiua, aut ratione præcepti humani Pontifex, sicut, & Princeps sæcularis teneatur, vi tamen directiua, quæ Principem ratione gubernat, humanæ constitutioni etiam à se ipso latæ se ipsum submitti, nam eum, qui leges facit, legibus obtemperare conuenit, vt eleganter dixit Paulus lib. 4 sentent. tit. 5. vers. *Testamentum,* & ita procedunt leges allatæ, nam vt inquit Theodorus apud Casiod. lib. 5. variar. epist. 18. in fine: *Volumus hoc exemplum à nostris prædijs inchoare, vt nulli grauis sit iussio, quæ constringit & Principem,* dictat quippe ratio naturalis, vt quam quisque legem alijs dixit, sibi etiam dicere non dedignetur, toto tit. D. quod quisque iuris cap. *Iustum* dist. 9. cap. *Cum omnes* de const. *L. Sed, & partus* 12. §. 1. D. de eo quod metus; & tradunt plurimi allati ab Amaya obseruat. Iuris lib. 1. c. 1. n. 98. Quod Claudianus obseruauit 4. cōsulatu Honorij vers. 296.

In commune Iubes, si quid censes ve tenendum
Primus iussa subi, tunc obseruantior æqui
Fit Populus, nec ferre vetat, cum viderit ipsum
Authorem parere sibi.

Et Sanazarus Poeta lib. 1. Epig. 16.

Publica nimirum lex tunc sibi constat, & æquum
Imperium Rex cum, quod iubet, ipse facit.

52 Licet ergo Pontifex ampliori, nobiliorique iurisdictione, & potestate gaudeat, quam Princeps sæcularis, habeatque immediate à Deo potestatem, & non à Populo, sicut Reges, manet tamen legibus directiue subiectus, non vero coactiue. Quod

expressè docet D. Thom. 1. 2. q. 96. art. 6. Vbi quærens vtrum omnes legi subijciantur, dicit: Lex de se duo habet, scilicet, quod est regula humanorum actuum; secundum, quod habet vim coactiuam. Dupliciter potest aliquis esse subiectus legi, quam facit potestas; alio modo sicut coactum cogenti, & hoc modo homines virtuosi, & iusti non subduntur legi, sed soli mali; & infra, animaduertens à Iurisperitis Principem legibus solutum dici, ait: Princeps dicitur esse solutus à lege quantum ad vim coactiuam legis; nullus enim proprie cogitur à se ipso; Lex autem non habet vim coactiuam, nisi ex Principis potestate; sic ergo Princeps dicitur esse solutus a lege, quia nullus in ipsum potest iudicium cōdemnationis ferre, si contra legem agat. Vnde supra illud Ps. *Tibi soli peccaui*, dicit: quod Rex non habet hominē, qui facta eius iudicet. Sed quantum ad vim directiuam legis Princeps subditur legi propria voluntate, secundum quod dicitur in extrauag. de Cōstitut. quod quisquis ius in alterum statuit, ipse eodem iure vti debet, & sapientis dicit Authoritas, patere legem, quam tu tuleris. Legibus coactiue summum Præsulem, & Principem non adstringi tenent communiter Iurisperiti, qui videri possunt in Acuña in c. 9. n. 3. dist. 10. Azebedo in L. 3. lib. 9. recopilat. tit. 18. Gregorio Lopez in L. 16. tit. 1. partit. 1. Salzedo in Theatro honoris Glos. 2. & 3. Amaya obseruat. lib. 1. c. 1. n. 91. Vbi plurimos refert pro hac communi sententia.

53 Ex quo aliqua instituti nostro necessaria transferre existimaui, quæ sunt efficatiores huius asserti

ferti impugnationes. Primò commune esse DD. placitum Principem non esse sub legibus, licet in legibus sit, & legi non subijci, sed eius rationi, nec legibus ab alio conditis sub coactione teneri, quia *par in parem, non habet imperium*, *L. 4. de arbitrijs*, *L. per minorem* 54. *D. de Iudicijs*, *L. Ille à quo* § *Tempestiuum* D. ad S.C. Trebel. & cum Pontifex sit supremus Princeps in Ecclesiasticis, coactiue non tenetur legibus, & dispositionibus antecedentium Pontificum.

54 Secundo, quia Pontifex nequit coactiue obligari lege à se ipso promulgata, cum nemo possit sibi ipsi imperare. L. pœn. D. de arbit. L. *Lutius* 40. §. finali D. de fideicomm. libert. *L. Si quis* in princ. 22. D. de Legatis 3. neque enim potest quispiam sibi legem imponere, à qua recedere non liceat. *L. Quod autem* 7. §. vxori 8. de donat. inter. & c. qua ratione Grāmatici primā personam Imperatiui modi non apponunt, eò quod sibi præcipere impossibile est.

55 Tertio, quia lex Principi subditur, & quælibet Ecclesiastica dispositio Pontifici; valetque illam mutare, si sit ob bonum publicum Ecclesiæ, vel Regni, etsi ita esse affirmet Pontifex, aut Princeps in lege sua, tali assertioni sine dubio credendū est. Clem. 1. de probat. & ratio est, quia causa publica præualet priuatæ, *L. Ius publicum*. D. de pact. & argum. L. *Etiam si verberatum* D. de rei vendic. *L. Venditor* § *Si Constat* D. Communia prædiorum. L. *Lutius* D. de Euictionibus, *L. Cotem ferro*. §. final. D. de publican. & vectigal. & hoc tenent communiter DD. in *L. finali* C. Si contra Ius, vel vtilitatem publi-

cam,& expressè tradit Innocentius in cap. *Quæ in Ecclesiarum* de constitut. semperque iustam esse causam reformandi,vel abrogandi legem, respicere fauorem publicum,vt tradit Mandelus Alb. consilio 185.n.17.ibi: *Sed opus est,quod huiusmodi iusta causa concernat fauorem publicum, qui fauor sit euidens, & probabilis,puta pro pace fidelium,pro euitando scandalo, & pro aliqua huiusmodi vtilitate publica.* Ita plures, quos refert,& sequitur Larrea allegat.fiscalium allegat.3.n. 10.

56 Quarto,quia ex euidenti,& necessaria causa non solum Summo Pontifici,sed etiam Episcopo licitū est cōdere statuta cōtra Canones,vt docet Panorm.in c.*At si Clerici* §.*de Adulterijs* de iudic.n. 9.Barthol.in L.*Omnes Populi* n.8.D.de Iust.& Iure, & relati à Ioan.Gutierr.Canonica.qq.cap. 23.n.18. His igitur breuiter statuitur primam illationis assērti Gallicani partem,si vi coactiua intelligatur, omnino repugnare Ecclesiasticis,& Ciuilibus iuribus,neque esse consonum Imperatori,& Regibus,quorum iurisdictionem extollere intendunt,cum eius supremam potestatem deprimant, si coactiue legibus subijci inferre conantur.

57 Secunda illatio,nempe instituta à Regno,consuetudinesque Ecclesiæ Gallicanæ debere immutabiliter obseruari falsitatis conuincitur, tum, quia à Rege,& Regno instituta contra Ecclesiæ immunitatem nullius roboris sunt;& ita quando intercedit aliquod peccatum, lex ciuilis abrogatur per Pontificiam,vt constat in Pragmatica sanctione Gallica per Leonem 10.reprobata,& in cap. finali de præs-

præſcript. Vbi cum mala fide præſcriptio interdicitur. Tum, quia conſuetudo etiam inueterata, ſi aut Eccleſiæ ſtatutis, aut Papalibus reſcriptis, aut rationi opponatur, potius eſt corruptela, & nullam vim contra rationem, legemque ipſam habere cenſetur. *L. Diuturna* 33. *L. quod non ratione* 39. *D. de Legibus*, ibi. *Quod non ratione introductum, ſed errore primum, deinde conſuetudine obtentum, in alijs ſimilibus non obtinet*. *L. Cum de conſuetudine* 34. *D.* de legib. ibi: *Cum de conſuetudine Ciuitatis, vel Prouinciæ confidere quis videtur, primum quidem illud explorandum arbitror, an etiam contradicto aliquando iudicio conſuetudo firmata ſit.* Vbi aduerto Eccleſiæ Gallicanæ conſuetudines male introductas, non ſolum aliquando, ſed ſemper ab Eccleſia fuiſſe contradictas, & pro bono malorum aliquando tolleratas. Id etiam probat lex 1. in principio D. de vſuris, vbi dicitur, *Quod teneat conſuetudo, ita tamen vt legi non offendat.* Quam ſententiam tenent communiter Interpretes. Donellus lib. 1. comment. c. 10. Ant. Faber in Papin. ti. 2. prin. 11. illat. 1. Anton. Auguſtinus lib. 1. emend. cap. 3. Ioannes Vvigers tract. de Pontifice dub. 2. n. 151. ibi: cum iuxta Philoſophum 1. Ethic. c. 1. ita ſubordinentur artes, & facultates, quemadmodum inter ſe ſubordinantur eorum fines, idque lumine naturali notum ſit, cōſequens omnino eſt, etiam ſæcularem, & terrenam poteſtatem, ac Reges, & Principes ea præfulgentes pro inde ſuo modo ſubordinari ſpirituali, & cœleſti poteſtati; ita ſcilicet, vt leges ciuiles contra finem ſublimiorem militantes per Canones corrigantur, & ſi Princeps pertinaciter authoritate

ſua

sua abutatur contra bonum spirituale, & in perniciẽ salutis animarum, potest à potestate spirituali pęnis conuenientibus coerceri.

58 His itaque breuiter attactis vos iudices appellarem ad intro inspiciendũ, an instituta à Regno, consuetudinesque Ecclesiæ Gallicanæ sint contra vniuersales Ecclesiæ leges, Pontificum statuta, Conciliorũq; maturas santiones, & si ita est, vt omnes cordati vnanimiter iudicant, sepelite in imo obliuionis consuetudines vestras inueteratas, & nouus homo Christianus legibus Dei, & Ecclesiæ Catholicè indutus appareat. Hac ratione D. Petrus Dami. epist. 12. ad Alex. 2. de similibus loquens consuetudinibus ait: *Quam ob rem si Sanctæ prudentiæ vestræ placet, hunc morem de cætero à decretalibus paginis amouere præcipiat, vel damni pecuniæ, vel alterius cuiuslibet vltionis calculum in earum transgresione præfigat, ne quod alijs est ad tuitionis monumenta prouisum, alijs ad pernitiem proueniat animarum.* Excludantur ergo ab Ecclesiastica disciplina perniciosæ consuetudinis regulæ, tollatur hæc subterfugij versuta calliditas, vt ij, qui tam peruersis audacis superbiæ declarationibus vtuntur, immunitatem commissi piaculi non lucrentur.

SECTIO VII.

Vltimum Cleri Gallicani assertum impugnatur.

59 Vltimum hoc assertum licet admittat principaliorem partem in fidei diffinitionibus ad Summum Pontificem attinere, resoluit tamen minus

nus reuerenter eius iudicium non esse irreformabile, aut omnino infalibile, nisi Ecclesiæ consensus, aut acceptatio superaddatur. Vt clare veritas ostēdatur, primo declarabimus, quo modo hoc iudicium in quæstionibus facti, vel iuris nullatenus ad fidem pertinentibus reformabile est. Secundo in attinentibus ad fidem tale iudicium omnibus modis esse inuariabile. Tertio, quod ad hæc nullatenus exigitur Ecclesiæ consensus, nec ad decreti Pontificis infallibilitatem spectatur Ecclesiæ acceptatio.

§. I.

In quæstionibus facti, vel Iuris non concernentibus ad fidem Iudicium Summi Pontificis non est irreformabile.

60 Certum suppono Summum Pontificem, vt hominem, & vt priuatam personam errare posse in quæstionibus facti, & iuris, vt probatur ex cap. *Si Papa*, & ex c. *Si quando* de *rescriptis*, vbi dicitur: *aut mandatum nostrum reuerenter adimpleas, aut per litteras tuas, quare adimplere non possis, rationabilem causam prætendas, quia patienter sustinebimus, si non feceris, quod praua nobis fuerit insinuatione sugestum.* Et in c. *Super litteris* 20. de *rescript.* vbi dicitur. *Super litteris, quæ ab aliquibus ex malitia, (et) à non nullis ex ignorātia (tacita veritate, vel sugesta falsitate) impetrantur à nobis, diuersos intelleximus diuersa sentire, alijs asserētibus eos debere prorsus carere omni commodo litterarū, cum mendax precator carere debeat penitus impetratis; alijs vero dicentibus, quod si forma carere debeant in litteris nostris expressa, nihilominus iuxta rigorem iuris sit*

à

à delegato Iudice in negotium procedendo. Idem in cap. *Cum dilecta* 22. de *rescript*. Et Innocentius 3. in c. *A nobis* 28. de *sentent. excommun.* vbi dicitur: *Iudicium Dei veritati, quæ nec fallit, nec fallitur, semper innititur: Iudicium autem Ecclesiæ non numquam opinionem sequitur, quam & fallere sæpe contingit, & falli: propter quod contingit interdum, vt qui ligatus est apud Deum, apud Ecclesiam sit solutus, & qui liber est apud Deum, Ecclesiastica sit sententia innodatus.*

61 Experientia decisionum hoc clarescet. Fertur Cęlestinum 3. sancisse, quod matrimonium solui potest per hæresim, cuius oppositum (quod verissimum est) tradit, quamuis non definiat Innocētius 3. cap *Quanto* 7. *de Diuortijs*, addens: *Licet quidam prædecessor noster sensisse aliter videatur*. Alexander 3. cap. *Licet* 3. de sponsa duorum resoluens Matrimonium ratum non dissolui per subsequens cum alia matrimonium consumatum, subdit: *Aliter à quibusdam prædecessoribus aliquando Iudicatum*. Gregorius 12. in Sede Romana adoratus anno 714. responsum fecit Bonifacio Germaniæ Apostolo, his verbis: *Quod proposuisti, quod si mulier infirmitate correpta non valuerit debitum viro reddere, quid eius faciat iugalis? Bonum esset, si sic permaneret, vt abstinentiæ vacaret; sed quia hoc magnorum est, ille, qui se non poterit continere, nubat magis, non tamen subsidij opem subtrahat ab illa, &c.* Et Stephanus 2. ad Sedem Pontificiam sublimatus anno 752. c. 2. responsion. dixit: *Si quis se in coniugio copulauerit, & vni eorum contigerit, vt debitum reddere non possit, non liceat eos separare, nec pro alia infirmitate, &c.* Et Concilium

Com-

Compendiense anno 757. can. 16. hæc habet: *Si vir leprosus mulierem habeat sanam, si vult ei dare commeatum, vt accipiat virum, ipsa fæmina si vult, accipiat similiter vir.* cap. *Litteras* 13. de restitut. spoliatorum. Quæ omnia demonstrant Iudicia Pontificum in his iuribus non esse omnino irreformabilia.

62 Et ratio est, quia in Iudicio ferendo de rebus gestis, aut de iure inter partes nititur Pontifex hominum probationibus, & authorum testimonijs, quæ multoties falsa depromunt, & ita per falsas sugestiones Pontifex potest reum absoluere, & Innocentem condemnare. Exempli causa, dum quis duxit publice secundam vxorem relicta priore, cũ qua occulte contraxerat, sed contractum probare non potuit, Pontifex iudicabit, vt secundæ vxori adhæreat, similiterque mandabit simul manere tanquam coniuges, dum subest impedimentum non probabile in foro externo: ergo licet in quæstionibus facti, vel iuris rectè procedat, potest tamen in re errare.

63 Vt verum etiam præmitto Pontificem, vt priuatam personam errare posse in fide, vt communiter assertur de Marcelino, qui ob idolatriam petijt à Papatu deponi; de Victore 5. Honorio, Anastasio 2. Liberio, &c. Et de Ioanne 22. qui putauit Animas non videre Deum ante diem iudicij, quod tamen nunquam definiuit, immo ante mortem retractauit, & ratio est, quia nullum adest fundamentum in Sacra Scriptura, vt Pontifices postquam sunt assumpti ad Pontificiam dignitaté constituantur impeccabiles, & vt tanquam particulares Personæ gaudeant priuilegio confirmationis in gratia: nam vt

dicam, promissio facta Lucæ 22. *Rogabo pro te Petre, vt non deficiat fides tua,* solum intelligi debet erga Petrum, vt Ecclesiæ caput, non vero vt priuatam personam; & dato, Petro vt particulari personæ cõpetere, non inde in eius Successores diffundi probaretur: quia Pontifex licet Petro in Cathedra, & ijs, quæ Cathedram cõmitantur, succedat, non tamen succedit Petro in priuatis priuilegijs. In istisque quæstionibus facti, aut Iuris non solum Pontifex potest errare, sed etiam Generale Concilium, immo, & Pontifex cum Concilio; quia omnia hæc dependẽt ab humano testimonio, quod quidem fallibile est.

64 Nihilominus aliquæ sunt facti quæstiones, in quibus Pontifex est infallibilis, & irreformabilis, nempe in respicientibus facta contenta, aut deducta ex Sacra Scriptura, vel ex traditione, quæ de fide proponuntur à Pontifice, & in concernentibus vniuersalem Ecclesiam, vt in Canonizando aliquẽ solemniter, illum adscribendo Catalogo Sanctorum, eumque proponendo toti Ecclesiæ, cum mandato, vt ab Omnibus pro Sancto habeatur, & colatur, & ratio est, quia in istis quæstionibus ad fidem spectãtibus procedit Pontifex ex officio Pastorali tanquã Doctor, Pater, & Superior vniuersalis Ecclesiæ, & nullatenus nititur humano, & fallibili testimonio, sed solum Dei, & infallibili; at qui cum hoc modo procedit Pontifex, eius iudicium est infallibile, vt dicam §. sequenti: ergo, &c. Confirmatur, quia si Pontifex in hoc infallibilitate non gauderet, Ecclesia posset ad malum obligari, scilicet ad credendũ, & colendum tanquam Sanctum, qui vere Sanctus

non

non esset, itaque deficeret in Ecclesia spiritus veritatis, & quidem in materia Religionis, quod maximum est absurdum.

65 Nec opponatis P August. (vti communiter fertur) *Multa corpora honorantur in terris, quorum animæ torquentur in gehenna*: nam talis sententia in Augustino non reperitur; dato tamen quod Augustini esset, verificari posset de impijs, quorum corpora in terris magnificis sepulchris honorãtur; etiamque verificari valerent de falsis Donatistarum, similiũque Sectariorũ præcipue in Asia Martiribus, qui apud suos sunt in honore; tandem possent in vero sensu intelligi de honore, quem particulares possunt exhibere Sancto existimato, non vero, de cuius modi Innocentius 3. c. *Audiuimus* de reliq. & venerat. SS. refert, quod aliquis inebrietate occissus à quibusdam pro Sancto colebatur. Quare licet olim Episcopi præuio diligenti examine Sanctis publicos decernerent honores, ob periculum abusuum merito Ecclesiæ caput cultus publici sibi determinationem reservauit. Hæc tamẽ omitto, quia in Theologico tractatu fuse concluduntur.

§. *II.*

In definitionibus Fidei non solum Pontifex est principalior pars; sed vnica viuens Fidei regula, tàm intra, quàm extra Concilium.

66 Pro hoc firmo, verissimo, atque irreformabili asserto stat omnium DD. Catholicorum congregatio, vide interim, quos n. 28. allegaui, qui vnanimiter

K 2

nimitér in hanc infallibilem veritatem conueniunt. Itaque Sacra Scriptura est nostra fidei regula, vt pote quia est verbum Dei scriptum, non tamen est vnica Fidei regula: nã definire, quod hæc sit vera scriptura, & non alia, post tot credibilitatis testimonia nõ iudicatur ab ipsa scriptura: ergo ad Pontificem pertinet in illa quæstione infallibiliter sententiam ferre. Fuit v.g. dubitatum, an Epist. 2. Petri sit Canonica? Quis in hoc vltimum proferret iudicium, nisi daretur aliqua viuens regula fidei potens hoc determinare? Similiter sensus Sacræ Scripturæ aliquando obscurus est; vt ergo determinetur in hoc sensu, & non in alio intelligi debere, assignare tenemur viuentem fidei regulam, lites fidei exortas determinare valentẽ, & hanc regulam dicimus esse Vicarium Christi, viuentem Vice-Deum, & Successorem Petri: sicut namque ius humanum est scriptum, quin hoc sufficiat ad causas iudicandas, alias quilibet ex contendẽtibus in suo sensu abundaret, esseтque in Ciuilibus inextricabilis confusio; ideoque necessario requiritur viuens iudex lites contestatas sententialiter resoluẽs, ita Deus in causis fidei suæ Ecclesiæ relinquit infallibilem Iudicem, Romanum, scilicet, Pontificẽ irreformabiliter, immutabiliter, & infallibiliter decernentem.

67 Hæc veritas suadetur primo ex Sacra Scriptura, Lucæ c. 22. *Ego rogabo pro te Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Vbi promissio Dei infallibilis clare mõstratur se non permissurum fidem aliquando defuturam in Petro, & Successoribus: si enim in Cathedra

dra Sinagogæ vſque ad conſumationem illius, & Chriſti aduentum non potuit doceri error, iuxta illud Matth. c. 23. *Super Cathedram Moyſis ſederunt Scribæ, & Phariſæi, quæcunque dixerint, facite*; quanto magis in Cathedra Petri, quæ eſt fundamentalis lapis fidei, aduerſus quam portæ inferi non præualebunt, & quæ á Chriſto D. dicitur columna, & firmamentum veritatis? En vbi Chriſtus Pontificem vocat fratrum confirmatorem, quem ergo fratres motis fidei perſecutionum turbinibus ſequerentur, niſi à quo in fide firmarentur? Cum dicit, *& tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos*, expreſſe loquitur de Petro; ipſe enim habet fratres iuxta illud Chriſti D. *Omnes vos fratres eſtis*, Eccleſia nanque filios parit, Parentes veneratur, ſed fratres non habet.

68 Hæc verba: *Ego rogabo pro te Petre, &c.* iuxta SS. PP. intelliguntur de Eccleſia Romana, in qua nullus vnquam contra fidem aliquid definiuit, nec ab illa error in fide ortum habuit, omnes aliæ Eccleſiæ a veritate declinauerunt, vt conſiderari poteſt in Hieroſolymitana, cui præfuit D. Iacobus, in Acayalenſi, quam rexit D. Andræas, in Aſsiatica, quã D. Ioannes guuernauit, in Eccleſijs Orientalium Indiarum, quibus D. Thomas, in Eccleſia Perſiæ, cui Iudas, in Æthiopiæ Eccleſia, cui Matthæus, in Græciȩ Eccleſia, cui Paulus præfuit. Harum enim ferè veſtigium non inuenitur, ſola Eccleſia Romana nunc perſeverat illæſa, ſine macula, ſine ruga in aliquo Pontificio decreto, ſemperque columna, & firmamentum veritatis, vt docet D. Irenæus lib. 3. c. 4. vbi Eccleſiam Romanam vocat *Opulentiſsimam verita*

tis

tis Apostolicæ hypothecã, vitæque portam, ex quã ceu vitæ Cælestis fonte diuinitus ad aperto omnes, qui velint, sumant potum vitæ, nimirum salutaris doctrinæ Christi salientis in vitam æternam. Et expresse D. Cyrilus, *Ecclesia,* inquit, *Petri Apostolica ab omni seductionis hæretica circumventione manet immaculata, super omnes Præpositos, & Episcopos, & Primates Ecclesiarum, & Populorum, in suis Pontificibus in fide plenissima, & authoritate Petri (cum aliæ Ecclesiæ quorundam errore sint verecundatæ) stabilita inquasabiliter ipsa sola regnat, silentium imponens, & omnium obturans ora hæreticorum.*

69 Ex illo loco Lucæ 22. probari infallibilitatem Summi Pontificis in definiendo docet expresse D. Bernardus epist. ad Innocentium ibi: *Opportet referri ad vestrum Apostolatum quæque pericula, & scandala emergentia in Regno Dei, ea præsertim, quæ de fide contingunt; dignum nanque arbitror ibi potissimum resarciri damna, vbi non potest sentire fides defectum. Hæc quippe huius prærogatiua Sedis: cui enim alteri aliquando dictum est: ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua? Ergo quod sequitur, à Petri successore exigitur, & tu aliquando conuersus cõfirma fratres tuos.* Ægypti Episcopi epist. ad Marcum Pontificẽ ita alloquuntur *Sancta Romana Ecclesia semper immaculata permansit, & Domino prouidente, & B. Petro Apostolo opem ferente in futuro manebit, & sine vlla hæreticorum insulatione, firma, & immobilis in omni tempore persistit.* Et Summus Pontifex Marcus ita rescribit: *Hæc Sancta Romana Ecclesia Mater est omnium Ecclesiarum Christi, quæ à tramite Apostolicæ traditionis*

nis nunquam errasse probatur, secundum ipsius Domini Saluatoris diuinā policitationem, qui discipulorū suorum Principi in suis factus est Euangelijs: Petre ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua. Idem habet Agath. Papa in 6. Concil. Generali Act. 4. ad Imperatorem, vbi postquam ferè hæc omnia proponit, addit: *Consideret ergo vestra tranquilla clementia, quoniam Dominus, & Saluator omnium, cuius Sedes est, qui Sedem Petri nō defuturam promisit, confirmare, cum fratres suos admonuit, quod Apostolicos Pontifices meæ exiguitatis prædecessores confidenter fecisse semper cunctis est cognitum.*

70 Ex Matthæo cap. 16. etiam suadetur, vbi Christo inquirenti, *quem dicunt homines esse filiū hominis?* Et Petrus respondisset nomine omnium: *Tu es Christus filius Dei viui,* Christus illi ita alloquitur: *Beatus est Simon Bariona, quia caro, & sanguis non reuelauit tibi sed Pater meus, qui in cælis est; & ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam; & tibi dabo claues Regni cælorum, & quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum, & in cælis, & quodcunque solueris super terram erit solutum, & in cælis.* Hęc promissio, vtpote infallibilis fuit adimpleta. Notanda illa verba: Primo. *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Secundo: *Tibi dabo claues Regni cælorum.* Tertio: *Quodcunque ligaueris.* In primo obiter considera solum Simoni tunc Christus apposuisse nomen Cephas, vel Petri, quia solum supra Petrum erat Ecclesiæ stabilitatem fundaturus. Vocat enim Pontificem Petram. Cui nanque de doctrinæ

veritate consideret securius, quam ei in quo illa Petræ soliditas perseuerat? Ideoque D. Ambrosius lib. 4. de fide cap. 3. ait: *Cum Petrum petram dicit, firmamentum Ecclesiæ indicauit.* Deinde exprimens solum loqui de Petro, non vero de Ecclesia, aut alijs Apostolis, explicat esse filium Ioannis, & apponit illa pronomina repetita, *et ego dico tibi*; ac si diceret, & non alijs, *quia tu*, & quasi alios excludendo, petra es. In secundo notandum clauium traditionem ius, potestatem, & possessionem significare, & cui Claues dãtur, is dominus, & possessor instituitur, quod testantur tàm Sacræ, quàm profanæ litteræ, vt aduertunt Bellarmin. Stapletonius, & Cornelius. Aliquãdo clauium traditio solum denotat custodiam, & administrationem, sic antiqui Romani claues vxoribus suis tradebant, vt quę Domi essent, administrarent, & ita apud quem sunt claues, is, vel iure suo possidet, & sic erit dominus, vel alieno, & sic erit Vicarius vsum, & administrationem manifestãs in clauium acceptatione; in hoc sensu Christus Petro promittens claues Regni cœlorum propria authoritate Vicarium designat. Cum ergo claues solum fuerint Petro traditæ, solus Petrus erit Christi Vicarius, & Ecclesiæ caput. In tertio aduertendum, aliud esse aperire, & claudere, aliud ligare, & soluere; quia aperire, & claudere clauium; ligare vero, & soluere, non clauium, sed funium est, & non circa portas cœli, sed circa homines; homines enim non dicuntur claudi, & aperiri, portæ etiam non dicuntur ligari, & solui; soli tamen Petro traduntur claues cum potestate ligandi, & soluendi, quæ authoritas ligandi, & soluendi ad
hoc

hoc collimat, scilicet, soluere emergētium fidei difficultatum nodos, ligare vagantia dissoluta dogmata extirpando errores diabolica fraude seminatos, illosque perpetuis silentijs concathenando, & ligando. Sed hoc solum habuit Petrus, & eius Successores à Christo D.: ergo solum Petri Successores ex Christi testimonio in quæstionibus fidei possunt indefectibiliter soluere, aut ligare.

71 Quod expresse testatur Alexandrinum Concilium in epist. ad Felicem ibi: *Vestra Romana Sancta Sedes speciali priuilegio super alijs firmamentum à Deo fixum, & immobile percepit. Ipsa enim est sacer vertex, in quo omnes vertuntur, sustentantur, reuelantur, tu es enim, sicut diuinum veraciter testatur elloquiū, Petrus, & super fundamentum tuum Ecclesiæ columnæ, idest Episcopi, tibi sunt confirmatæ. Tu prophanarum hæresum, atque omnium infestantium depositor, vt Princeps, & Doctor, caputque omnium, orthodoxæque doctrinæ, & immaculatæ fidei existis.*

72 Ex Ioanne 21. ostenditur, ibi: *Pasce oves meas.* Vbi Chrisostomus dicit: *esto præpositus loco mei, & primus in medio fratrum*; in quo loco primo aduertendum est Pastoris nomine Principis, & Superioris perfectissimum munus significari, vt habetur Isaiæ 44. in fine, Ezechielis 34. in initio, Naum c. 3. & Psalm. 77. vbi loquens de Dauid dicit: *pascere Iacob seruum suum, & Israel hæreditatem suā*; quia regnare viriliter, suaviter, diuinoque more per pascere litteraliter explicatur, ideoque Principes Carinthiæ in Esclauonia Pastorilibus rudibus vestibus Reges suos induunt, vt tradit Æneas Siluius, & pulchre M.

Marquez in suo Christiano Gubernatore lib. 2. c. 9. §. 2. Cũ ergo Christus Petro tradidit Ecclesiæ Principatum, & Potestatem ad cœlestiter regendum, illi dixit. *Pasce oves meas*; vocatque ibi Pontificem omnium ovium Dei Pastorem; cuius audiendam vocẽ oves tenentur nisi sui Pastoris? Secundo, quia à solo Petro rogat dicens: *Petre amas me*? Et illum à tota Ecclesia, & Apostolis discernit, dum dicit: *Diligis me plus his*? Idest Apostolis. In qua interrogatione Petrum personam particularem gerere communiter à Patribus docetur, & ex textu ipso constat, quia illa præstantior dilectio à Christo interrogata non erat totius communitatis Ecclesiæ, sed solius Petri. Deinde, quia ibi dixit Petro: *Cum esses iunior, &c.* quæ de solo Petro in propria persona verificantur: ergo in sola persona Petri collocat pręmium, aut vigorosius humanis humeris insuportabile onus pascendi oves Dei, solumque Petrum constituit caput, & Vicarium Christi. Tertio in hoc loco notandum per illa verba. *Pasce oves meas,* designari vniuersalẽ potestatem in Petro super omnes fideles, etiam super alios Apostolos, & super omnes, quos fides ad Christum regenerasset. Ideoque D. Bernard. lib. 2. de cõsiderat. ad Eugen. ait: non oves huius, aut illius Regni, Ciuitatis, aut Regionis, sed omnes, concludit enim: *Nihil excipitur, vbi distinguitur nihil.* Sed Petrus solus habet pascendi oves Christi authoritatẽ: ergo solus ipse potest fidei pastum infallibile præberę.

73 Respondebis Petrum in omnibus his Sacræ Scripturæ locis non gerere personam propriam,

sed

sed omnium Apostolorum, totiusque Ecclesiæ, & ita definire, non ad solum Petrum, eiusque Successores spectare, sed ad totam Ecclesiam, cuius principalior pars est Pontifex. Quod suadent ex pluribus locis P. August. in Ps. 108. & serm. 13. de verbis Domini, & serm. 33. de verbis Apostoli, & in tract. 124. in Ioannem ibi: *Cuius Ecclesiæ Petrus Apostolus propter Apostolatus sui Primatum gerebat figurata generalitate personam.* Idem habet lib. 1. de Doctrina Christiana c. 17. de Agone Christiano c. 30. semperque expresse fatetur, quod, dum Petrus audit illa verba: *Tibi dabo; rogaui pro te; pasce, &c.* Ecclesiam repræsentare, alias Ecclesia non solveret, nec ligaret.

74 Facile tamen hæc solutio impugnatur, tum, quia naturale, & litteræ consonum omnino est, vt cum dicitur *tibi*, locutio intelligatur cum illa persona in singulari, significatumque restringatur per *tibi* ad illam personam, sicut cum Christus dixit: *Adolescens tibi dico surge*. non loquebatur cum omnibus adolescentibus, sed cum solo filio viduæ Naim; similiter Lucæ 7. dũ dixit Magdalenæ: *Remittuntur tibi peccata tua*, omnibus mulieribus nõ remisit peccata, & dum in Cruce latroni dixit: *Amen dico tibi hodie mecum eris in Paradiso*; cunctis latronibus Paradisũ non apperuit: ergo cum Petro dixit *tibi*, debet intelligi de persona Petri in propria persona; sicut cum dixit *Petro*: *Vade Sathana, ter me negabis, &c* non loquitur *Petro*, vt gerenti omnium Apostolorum personam. Tum, quia licet Christi interrogatio sit ad omnes discipulos directa in illis verbis: *Vos autem, quem me esse dicitis?* Hoc non tollit, quod *Petrus* pro

ſe loquatur, quia dixit Chriſtus: *Caro, & ſanguis non reuelauit tibi*; ideoque plures PP. docent ſolum pro tunc Petrum Chriſti diuinitatem cognouiſſe. Tum, (quod diligenter debet obſeruari) quia licet Chriſtus varias poteſtatis formas dediſſet, nunquam inuenies claues Apoſtolis tradidiſſe, vt in hoc agnoſcatur ſingularitas capitis Eccleſiæ: qui enim tradit rem clauibus ſubiectam, vult illam integram ſeruarei, & ideo vni, non pluribus claues tradit; ſi enim in pluribus eſſent, dum vnus aperiret, alius clauderet, & portam, quam vnus clauderet, alius aperiret; & quia claues ſunt Regni cœlorum, non Reipublicæ à pluribus adminiſtratæ, Regnum nanque ab vno, non à pluribus regitur.

75 Tum, quia cum Chriſtus promittit Eccleſiæ, aut Apoſtolis, loquitur in plurali, *vt ſedebitis, & vos; ecce dedi vobis poteſtatem, dabo vobis os, & ſapientiam; pacem meam do vobis; fiet vobis: mittam vobis à Patre, &c.* ergo cum dicit *tibi*, non vult donare Eccleſiæ, ſed ſolum capiti Eccleſiæ. Tum, quia ſi Chriſtus vellet Petro promittere in ſingulari, non poſſet clariora verba afferre propriam Petri perſonã exprimentia in ſingulari, quam dicendo: *Tu es Petrus: tibi dabo: dico tibi: fides tua, &c.* Tum, quia P. Auguſtinus nullibi negat, immo locis à contrarijs allatis expreſſe fatetur talem promiſsionem factam fuiſſe in Petri perſona, & in illis claudi Eccleſiæ vniuerſalis primatum, Petrumque tunc Eccleſiam prę figuraſe; quia Petrus non in proprium commodum, ſed in vtilitatem totius Eccleſiæ illam erat accepturus poteſtatem, &; quia illa poteſtas non erat ſolum

per

per caput Ecclesiæ exercenda, sed aliis ministris delegand a. Præterea, quia illa potestate non fruebatur sola Petri persona; sed omnes Petri Successores, & hoc modo recte verificatur talem potestatem fuisse concessam non soli Petro, sed Ecclesiæ, non in omnibus membris, vel in quolibet communitatis, sed in succedente in munere capitis: sicut cum dicimus: *Consulatus fuit Romæ*, non negamus Consules fuisse homines priuatos, sed dicimus capitis gessisse personam; sic etiam cum dicitur, Imperium Romanum concessum est Germanis, non intelligitur communitati, sed solum ex illis ad Imperium electo. Ita pariter. Tum, quia si in Petri persona Ecclesiæ dantur claues, claues à Petro non auferuntur, quia est Princeps, & Caput Ecclesiæ, ideoque Ecclesiæ nomine illi Christus claues tradidit, quia claues Christus nullatenus tradidit, vt essent confusæ, & sine ordine, cum esset hæc inutilis administratio; sed vt potestas per claues significata iuxta membrorum proportionem collocaretur, vt recta seruaretur administratio: hoc modo Petro, vt Capiti Ecclesiæ traduntur, aliis vero pro conditione, vsuque membrorum communicantur, ideoque P. August. in illis eisdem verbis tract. 124. in Ioannem ait: *Cuius Ecclesiæ Petrus Apostolus, propter Apostolatus sui primatum* (considera propter primatũ) *gerebat figurata generalitate personã.*

76 Secundo probatur nostrum, verumque assertum ex Concil. Florentino sub Eugen 4. *Definimus Sanctam Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem in vniuersum Orbem habere Primatum, & ipsum Pontificem Romanum Successorem esse B. Petri Principis Apo-*

Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ caput. & omnium Christianorum Patrem, ac Doctorem existere, & ipsi in B. Petro pascendi, regendi, & gubernandi vniuersalem Ecclesiam à Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis OEcumenicorum Conciliorum, & in Sacris Canonibus continetur. Vbi nota illa verba: *Totius Ecclesiæ caput, omnium Christianorum Patrem, totius Ecclesiæ Doctorem. Caput*, vt eius motibus, & legibus Christiferum Corpus obediret, quia est Vice-Christus, Regnoque Dei Præpositus. *Pater*, vt doctrinæ, disciplinæque cibum tanquam à Patre familias filij, & Christiani reuerenter eflagitent. *Doctor*, vt grauissimas Fidei difficultates resoluat. Vbi obiter nota, quod ibi exprimitur nullatenus requiri Ecclesiæ consensum, aut acceptationem, vt eius Iudicium firmum, atque securum permaneat, quia Caput à membris non mouetur, Pater filiorum consensu non eget, Doctor discipulorum non spectat Iudicium, nec eorum nutui obtemperare debet Magister: sunt enim discipuli auscultatores, non vero Doctores, & ductum Magistri sequi tenentur, in eiusque verbis fide iurare: solum nanque generatio praua, & adultera hos discipulorum cõsensus cum Doctoris resolutione monstruose coniungere intendit, vt videre est in Mathæo cap. 12. vbi dicitur: *Magister volumus à te signum videre*, dum Magisterium in Christo fatebantur, per omnia Christum sequi innuebant, & dum dicunt *volumus*, per voluntatem propriam Discipulorum mirabilia operari spectantes Magisterium simul in Christo negabãt, ideoque

a

à Christo D. grauiter increpantur dicente. *Generatio praua, & adultera signum quærit.*

77 Tertio probatur, quia ad aliquid fide firmiter stabiliendum, atque hæresim damnandũ nõ requiritur Concilium, sed solus Pontifex illud vltimo definit: ergo Pontifex est viuens infallibilis fidei regula; antecedens probatur. Tum, quia Concilia non possunt facilè celebrari, & Deus in sua Ecclesia opportunum remedium reliquit, vt mala illa hæreticalia possent statim, ac pullulant, amputari, aut eradicari. Ideoque D. Gregorius lib. 4. epist. 52. ad Galliæ Episcopos ait: *Si quam vero contentionem (quod longe faciat diuina potentia) de fidei causa euenire contigerit, aut negotium emerserit, cuius vehemens sit dubietas, & pro sui magnitudine iudicio Sedis Apostolicæ indigeat, examinata diligenter veritate, relatione sua ad nostram studeant perducere notionem, quatenus valeat à nobis congrua sine dubio sententia terminari.*

78 Tum, quia ad definitionem Fidei statuẽdam nullatenus opus est Concilio, sed sufficit determinatio Summi Pontificis, vt docet P. August. contra duas epist. Pelagianorum ad Bonifacium, *aut vero congregatione Synodi opus erat, vt aperta pernicies damnaretur, quasi nulla hæresis aliquando sine Synodi congregatione damnata sit, cum potius rarissima inueniãtur, propter quas damnandas necessitas talis extiterit.* Quod D. Hieronymus profitetur, dum dicit in quęstionibus fidei se obtemperaturum sententiæ Pontificis, ita: *Ab Antiochia recurri ad Damasum indubitãter asserturus, quidquid Damasus rescriberet, discens à Sacerdote victimam, à Pastore præsidium, ovis flagito, &c.*

&c. Non noui Vitalem, Mellesium respuo, ignoro Paulinum, quicunque tecum colligit, spargit, &c. Decernite, si placet, obsecro, non timebo tres hypostases dicere, si iubetis. Hauitus Episcopus Vienensis epist. ad Hormisdam loquendo de Gallis ait: *Omnes vestram super statu fidei captare sentētiam, orate, vt sic nos prædictorum professio fucata non fallat, sicut ab vnitate, quam regitis, veritas comperta non separat.* Quod etiam stabilitum videtur in Cōcilio Arausicano celebrato anno 529. in principio. Vbi loquens de decretis à Pontifice missis, ita habetur: *Quibus lectis, qui hucusque, non sicut oportebat, de gratia, & libero arbitrio credidit, ad ea, quæ fidei Catholicæ conueniunt, animum suum inclinare non differat.*

79 Tum, quia à tempore Apostolorum, vsque ad Concilium Nisenum inter fuere fere 300. anni, in quibus nullum fuit Generale Concilium; & tamen illis temporibus damnatæ stant hæreses Apollinianorum, Marcionistarum, Valētinianorum, &c. Post modum etiam errores Pelagianorum, Semipelagianorum, Priscilianistarum, Bengarij, &c. Sine Concilio etiam fuerunt damnati à Sixto 4. errores Petri Oxomensis Salmantini Primarij negantis Romanæ Ecclesiæ, & Summo Præsuli infallibilitatem in decretis fidei. Sine Concilio etiam Articuli Baij fuerunt proscripti à Pio 5. & Gregorio 14. & Vrbano 8. Similiter propositiones Cornelij Ianseni j damnatæ ab Innocentio 10. & Alexandro 7. & tandem 65. propositiones damnatæ à SS. D. N. Innocentio 11.

80 Tum, quia ad Canonizandum, quæ est solem-

solemnis fidei protestatio, non requiritur Cōcilium, sed Pontifex illud vltimo statuit, & definit, vt constat ex Bullis Canonizationis, in quibus Pontifices frequenter dicūnt *Se definire, & declarare Sāctos esse*, vt patet ex Bulla 6. Pij 2. quæ est Canonizationis S. Catherinæ Senensis, Bulla 38. Leonis 10. quæ est Canonizationis S. Francisci de Paula, Bulla 27. Clemētis 8. quæ est Canonizationis S. Iacinti, vbi §. 20. dicitur. *Tunc igitur nos pro nostra, & Sancta huius Sedis authoritate, & potestate, & pro singulari Spiritus S. in eandem Sedem, cuius ipsa infallibilis sapientia gubernatur, præsidentia ea diximus, &c.* & §. 21. *Sancto Spiritu, cuius numine Ecclesia aflata nunquam fallitur, multis cum precibus inuocato, decreuimus, & definiuimus*; & pluribus alijs. Pontifices enim in illis Bullis frequenter addunt se mandare, vt ab vniuersis Christi fidelibus pro Sanctis habeantur; ab ijsque fideliter, ac firmiter teneri debere, vt habetur in Bulla 21. Sixti 4. quæ est Canonizationis S. Bonauenturæ, & in Bulla Canonicationis S. Antonini, quæ est prima Clementis 7. in qua insuper præmittitur. *Adrianum prædecessorem considerasse, quod in eadem Canonizatione non permissurus Deus ipsum errare*. Ideoque indicuntur præces, & ieiunia, *Ne Ecclesiam Altissimus modo aliquo in huiusmodi Canonizationis officio errare permitteret*, vt loquitur idem Adrianus 6. in Bulla 5. Canonizationis S. Vennonis, & Sixtus 5. in Bulla 28. Canonizationis S. Didaci §. 24. inquit: *Tum nos ipsi de Spiritu S. singulari patrocinio, atque infallibili assistentia, ea diximus, quæ causæ, & temporis ratio potissimum requirere videbatur*. Deinde ad ipsam Canonizationem proce-

dens §. 28. ait: *Inuecato Sancto creatore Spiritu, cuius consilio, & sapientia Sancta Ecclesia columna, & firmamentum veritatis regitur, eiusque numen sæpe à nobis ex intimo corde, multis etiam lachrimis imploratum præsens ad esse non dubitantes, ad honorem Sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis, &c.*

81 Tum, quia Concilium solum habet infallibilem authoritatem ratione confirmationis Pontificis: Concilium nanque solum est necessarium ad maturam, vniuersalemque consultationem, & infallibilitas non est consultationi alligata, sed determinationi, vltimæque Pontificis definitioni, vt constat ex D. Athanasio, omnibusque Ægypti, Thebaidæ, & Libiæ Episcopis congregatis in Concilio Alexandrino ita Fœlici Romano Pontifici scribentibus: *vestrum est nobis manum porrigere, quia vobis commissi sumus: vestrum est nos defendere, atque liberare, Nostrum est à vobis auxilium petere, vestrisque parere iussionibus.* D. Dionysius Alexandrinus consuluit Sixtum Romanum Pontificem, & contra Sabelianos suam præcabatur sententiam, vt refert Eusebius lib. 7. c. 6. Benignus Episcopus cum sufraganeis à Fœlice 1. Romano Pontifice sententiam quæsiuit, & hanc fuisse à tempore Apostolorum vsque ad ipsum invariabilē Ecclesiæ consuetudinem tradit Felix epist. 3. & de Episcopis Africanis constat ex epist. 26. & ex Episcopis Germaniæ, & Burgundiæ erga Anastasium, & ex Episcopis Macedoniæ erga Innocentium constat epist. 22. & ex omni Orbe Christiano in quæstionibus fidei recurri ad Pontificem, vt ad vnicum, indefectibilemque iudicem, constat ex epist. 26. Ex quibus

bus manifeste constat traditionem venerabilium Patrum vnanimi consensu firmatam à tempore Apostolorum, vsque ad præsens concludere potestatē definiendi in Summo Pontifice fide credi, potius quam probari debere.

82 Quarto ex PP. nostra indubitata conclusio suadetur, simulque hæc venerabilis consuetudo recurrendi ad Sedem Apostolicam in fidei quæstionibus decidendis; nam Anacletus epist. 1. de oppressione Episcoporum ait: *Difficiliores quæstiones, & maiores causæ ad Sedem Apostolicam deferantur, quoniā Apostoli hoc statuerunt iussu Saluatoris.* Et idem Anacletus epist. 3. cuius verba referuntur à Gratiano in c. *Sacrosancta* dist. 22. ita: *Hæc Sacrosancta Romana, & Apostolica Ecclesia non ab Apostolis, sed ab ipso Domino Saluatore nostro primatum obtinuit, & eminentiam potestatis super vniuersas Ecclesias, ac totum Christiani Populi gregem assecuta est, sicut ipse B. Petro Apostolo dixit:* Tu es Petrus, &c. Eusebius ad Episcopos Campaniæ, & Tusciæ, ibi *Prima salus est rectæ fidei regulas custodire, & à Constitutis Patrum nullatenus deuiare, nec potest Domini nostri prætermitti sententia dicentis:* tu es Petrus, &c. *Et hæc, quæ dicta sunt rerum probantur effectibus, quia in Sede Apostolica extra maculam semper est Catholica seruata Religio.* Iulius 1. epist. ad Episcopos congregatos Antiochiæ ait: *Sanctam Romanam Ecclesiam, & Apostolicam ipse Dominus decenter allocutus est, inquiens:* Tu es Petrus, &c. *Habet enim potestatem singulari priuilegio sibi concessam, & Domini ore sacrata, atque super exaltata est, & sicut B. Petrus primus fuit Apostolorum omnium, ita*

& hæc Ecclesia suo nomine consecrata Domino instituente prima, & caput est cæterarum.

83 Damasus in epist. ad Episcopos trium Cõciliorum Africanorum ibi: *Summas causarum definiri absque Sedis Romanæ authoritate non licet; Synodum sine eius authoritate fieri non est Catholicum, nec vlla Concilia rata leguntur, quæ non sunt fulta Apostolica authoritate. Est enim firmamentum à Deo fixum, & immobile omnium Episcoporum Apostolica Sedes, & vertex Ecclesiarum, supra quam Christus vniuersalem construxit Ecclesiam.* S. Irenæus lib. 3. aduersus hæreses c. 3. inquit. *Sed quoniam omnium Ecclesiarum numerasse Successiones valde longum est, maximæ, & antiquæ, & omnibus cognitæ à gloriosissimis duobus Apostolis Petro, & Paulo Romæ fundatæ Ecclesiæ, eam, quam habent ab Apostolis traditionem, & anunciatam hominibus fidem peruenientes vsque ad nos indicantes, cõfundimus omnes, qui præter quam opportet, colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorem principalitatem, necesse est omnem conuenire Ecclesiam, hoc est eos, qui sunt vndique fideles, in qua semper conseruata est ea, quæ est ab Apostolis traditio.*

84 Hanc etiam veritatem testatur P. August. contra epist. Manich. c. 4. Leo Papa serm. 3. de sua assumptione, Lucius 1. epist. ad Episc. Hispan. & Galliæ, Felix 1. epist. ad Benig. Agatho Papa epist. ad Constãtin. Nicolaus 1. epist. ad Michaelẽ, Leo 9. epist. ad Petrum Anthiochenum, quorum testimonia refert Bellarm. lib. 4. de Pontifice c. 3. D. Bernard. epist. 190. ad Innocentium 2. cui consonat Innocentius 3. in cap. *Maiores* de Baptismo, & eius effectu.

ni. Ciprianus epist. 55. & in pluribus epistolis Concilij Chalcedonensis ad *Leonem*, & in 5. & 6. Synodo, & in 7. generali act. 2. & in 8. Synodo generali act. 1. sub Adriano 2. & in Romana sub Symmacho, cuius pars habetur in c. *Bene quidem* dist. 96. & in Lateranensi sub Innocentio 3. cuius decretum refertur in cap. *Damnamus de Summa Trinitate, & Fide Catholica*, in Lugdunensi eodem tit. in 6. & c. Vnico de homicidio eodem tit. in 6. adiuncto cap. *Vbi periculum* de electione eodem lib. Clement. vnica de Summa Trinitate, & in Tridentino sess. 7. de Baptismo.

85 Hanc nostram, firmamque assertionem concludat Angelicus Præceptor 2. 2. q. 1. art. 10. vbi dicit: *Dicendum, quod noua editio symboli necessaria est ad vitandum insurgentes errores. Ad illius ergo authoritatem pertinet editio symboli, ad cuius authoritatẽ pertinet finaliter determinare ea, quæ sunt fidei, vt ab omnibus inconcussa fide teneatur Hoc autem pertinet ad authoritatem Summi Pontificis, ad quem maiores, & difficiliores Ecclesiæ quæstiones referuntur, vt dicitur in Decretal lib de Baptismo cap. Maiores, vnde Dominus Lucæ 22. Petro dixit quem Summum Põtificem constituit, ego pro te rogaui, &c.* Et concludit: *Vt sic eius sententia à tota Ecclesia firmiter teneatur. Et ideo ad solam authoritatem Summi Pontificis pertinet noua editio symboli, sicut, & omnia alia, quæ pertinẽt ad totam Ecclesiã*, idem habet 2. 2. q. 11. art. 2. ad 3. & lib. 4. contra Gentes, cap. 86. & opusculo contra errores Græcorũ vbi Canonem Concilij Chalcedonensis retulit, quẽ Canonem hodie non inueniri in culpa est hæreticorum fallacia, qui eraserunt eum de Concilio, vt pridem

dem conquerebatur D.Gregorius Magnus lib 1. epist. 14. ad Narsem Comitem, non tamen latuit Angelici Præceptoris diligentiam, qui locupletioribus Codicibus, quam ad Nos pervenerunt, vsus fuit. Verba igitur ex fide D. Thomæ hæc sunt: *Veneramur secundum Scripturas, & Canonum definitionem Sanctissimum Antiquæ Romæ Episcopum primum esse, & maximum Episcoporum, &c*

86 Argumenta contrariorum, quamvis leuissimi ponderis sint breuiter adducere necessario existimaui. Primum est desumptum ex Paulo c. 2. ad Galat. Vbi dicit, se restitisse in faciē Petro, eum que repræhendisse: ergo quod Petrus statuerat, non sequebatur Paulus, immo in eius determinationē repræhensibiliter invehitur, consequenterque quod Petrus definiebat, non erat de fide: ergo potiori titulo in definitionibus Pontificis potest Ecclesia resistentiam demōstrare, illisque non obtemperare. Quo argumento vtitur Calvinus lib. 4. institutionum c. 9. §. 7. & Rex Angliæ, cum ab Ecclesia fuit primum segregatus.

87 Respondeo ex repræhensione, & resistentia nullatenus superioritatem potestate, ęqualitatem iurisdictione, vel expectationem consensus inferri, quia dignitate maiores possint ab inferioribus fraternaliter repræhendi, vt tradit P. August. lib. 1. de Baptismo c. 1. & epist. 19. & clarissime hoc demonstrat D.Gregorius Homil. 18. in Ezechielem, ibi: *Ecce à Paulo minori suo Petrus redarguitur, & repræhendi non dedignatur, non reuocat ad memoriam, quod Regni claues acceperat. Quis nostrum à minore fratre in-*

crepatus

increpatus patienter audiret? Deinde illa Pauli repræhensio non fuit orta ex titulo dignitatis, aut ex eo, quod Petrus aliquid de fide statueret, sed solum ex aliqua permissione,& ita ex zelo,& studio veritatis ortum duxit Pauli repræhensio, qua ratione multi Subditi Principes suos repræhenderunt, sicut Sarai Abraham Genes.16.Iacob Labam.Genes.29.Gethro Moysem Exodi 18.Ionatas Saulem 1.Reg.19. Ioab Dauidem 2.Reg.19.ergo ex his inefficax cõficitur argumentum,cum Petrus tunc nihil de fide statuisset.

88 Secundum argumentum.Agrapinus,quẽ successit,& fuit secutus D. Cyprianus decreuit cum multiplicatis Episcoporum Synodis Baptismum hęreticorum nullum esse,& ita hæreticos ad fidẽ conuersos esse rebaptizandos, contra Stephani Summi Pontificis decretum,cui tenaciter D. Cyprianus restitit:ergo quia iudicauit D. Cyprianus iudicium Summi Pontificis extra Concilium non esse irreformabile.

89 Respondeo Cyprianum,Firmilianũ,Dionysium,&c.non iudicase Stephanum ibi protulisse sententiam,nec loqui exCathedra,sed solum quandam consuetudinem aliarum Nationũ retulisse, vt constat ex verbis ipsius Pontificis, quæ ita sunt: *Si quis à quacunque hæresi veniat ad nos, nihil innouetur, nisi quod traditum est,nisi vt manus illi imponantur in pænitentiam.* Quæ verba potius vsum, traditionemque referre, quam definitionem stabilire videntur. Postquam tamen fuerunt de sententia Summi Pontificis certificati,statim contrarium protulisse decre-

tum

cum affirmat D. Hieronymus lib. 1. contra Luciferanos ibi: *Denique illi ipsi Episcopi, qui rebaptizandos hæreticos cum eo statuerant, nouum emisisse decretum.*

90 Ex quo constat, nec Cyprianum, neque Africanos Episcopos contumaciæ proteruia esse damnandos, cum P. August. lib. 1. de Baptismo cap. 18 dicat: *Humanæ infirmitatis errorem cooperuit charitas vnitatis* Si tamen aliqua culpa ipsis imponitur, fuit pœnitentia extincta, vt docet P. August. epist. 48. per hæc verba: *Correxisse autem istam sententiam non inuenitur Cyprianus, non incongruenter tamen de tali viro existimandum est, quod correxerit, & forPasse suppresum sit ab eis, qui hoc errore nimium delectati sunt, & tanto velut patrocinio carere noluerunt. Quam quam non desunt, qui hoc Cyprianum prorsus non sensisse contendunt, sed sub eius nomine à præsumptoribus, atque mendacibus fuisse confictum. Sicque aut non sensit omnino, quod eum censisse recitatis: aut hoc postea correxit in regula veritatis, aut hunc quasi næuum sui candidissimi pectoris cooperuit vbere charitatis, dum vnitatem Ecclesiæ toto Orbe crescentis, & copiosissime defendit, & perseuerantissime retinuit vinculo pacis.* Et clarioribus verbis P. August. lib. 2. contra Crescon. Gramat. c. 37. ita describit: *Cypriano de Baptismo repetendo si quid aliter sapuit, pro tantis meritis flagrantissimæ charitatis corrigendum, proculdubio Dominus reuelauit: quia in ea vitæ permansit tanquam sarmentũ tanto fructu pacis, & dilectionis opulentum, vt etiam si quid in eo purgandum reperiretur, si nulla re alia, certè falce Martirij purgaretur.*

91 Tertium argumentum: Adrianus 6. in

4.

4. ſententiarum q. de confirmatione, ſecundo argumento ſatisfaciens hæc habet: *Dico primo, quod ſi per Eccleſiam Romanam intelligitur caput eius, puta Pontifex, certum eſt, quod poſsit errare, etiam in ijs, quæ fidem tangunt, hæreſim per ſuam determinationem, aut decretalem aßerendo:* ergo ſentit Adrianus, quod Pontifex poteſt de fide definire, quod in re hæreticum ſit.

92 Reſpondeo Adrianum ibi tanquam particularem Doctorem ſcripſiſſe, & cum Pontifex vt particularis Doctor ſua ſapientia, & Sacræ Scripturæ teſtimonijs priuate intellectis ſentẽtiam profert, poteſt adhuc in fide errare, vti alius quilibet Doctor, & in hoc ſenſu certum ſupponit Adrianus Pontificem etiam in pertinentibus ad fidem à veritate declinare poſſe; quia ſic reſoluenti non eſt ſpecialis Spiritus S. aſsiſtentia promiſſa; non vero loquitur Adrianus dė Pontifice, vt capite Eccleſiæ, vniuerſali Doctore, & Vice-Chriſto, aut ex Cathedra diffinienti, quia ita errare nullatenus poteſt, cum ſic operanti ſit ſpecialis Spiritus S. aſsiſtentia ex diuino decreto debita. Adrianum prædicto loco nullatenus ſermonem inſtituere de diffinitionibus ex Cathedra, manifeſte conſtat, nam ibi loquebatur contra priuilegium adminiſtrandi ſacramentum confirmationis Presbyteris Sardiniæ à Gregorio conceſſo, quod tamen priuilegium nullatenus fuit tanquam de fide à Gregorio Eccleſiæ propoſitum, nec ex Cathedra iudicatum, ſed ſolum fuit res facti, & in rebus facti iam diximus Pontificem à vero declinare poſſe.

§. III.

Ad infallibilitatem Decreti fidei à Summo Pontifice ex Cathedra statuti nullo modo requiritur Ecclesiæ consensus, & acceptatio.

93 Certum suppono ad Summi Pontificis perfectissimam authoritatem pertinere in rebus arduis, & fidei declarandæ causa sapientum, & Doctorum diligenti examine, maturoque consilio semper vti, vt doctè, pariter, ac eruditè ostendit Excell. & Ill. M. Noster Fr. Paius de Riuera in Apologia pro Conceptione 1. proposit. vbi 65. primæ clasis, maximæque notæ Doctores eius formalissima verba afferens pro hac vera assertione refert, quod sapientem non pœnitebit relegere, vt grauis hæc materia cum solido fundamento stabiliatur. Nam infallibilitas Pontifici promissa est, non sicuti Prophetis, qui instar calami velociter scribentis diuina oracula exprimebãt, sed mediante inuestigatione, & diligentia humano modo pro qualitate tantæ causæ adhibenda. Quod demonstrat perpetua Ecclesiæ praxis etiam in Concilijs, ac præsente in illis Pontifice adhibita: semper enim magna disquisitio in ijs præmittitur definitioni, exemplo desumpto à Concilio Apostolorum Act. 15. Hoc etiam operantur communiter Pontifices sine Cõcilio ex Cathedra diffinientes, vltra diligentissimum examen indicentes insuper publicas præces, ieiunia, &c. Quod aperte constat ex n. 80. in praxi Canonizationis Sanctorum.

24 Si tamen Pontifex sine adhibitis cõmunibus

nibus diligentijs ad definitionem processisset, nihilominus deberet ipsa censeri infallibilis, nam licet impossibile sit Pontificem definire sine sufficiente examine, & diligentia, quia Deus, qui promisit finem, seu infallibilitatem, indubitanterque non permiteret Pontificem non adhibitis requisitis medijs procedere: Alias possent etiam definitiones Pontificum cum Concilijs definientium patere calumniæ ob prætensum necessarij examinis defectum. Quod si vero Pontifex interdum parum examen adhibuisset, certum perinde esse debere, amplius non esse requisitum, vel ob causæ claritatem, vel ob illuminationem specialem Spiritus S. Quod si tandem possibile foret (quod aperte negamus) Pontificem debitam diligentiam omittere, & tamen definire, adhuc potius censendum foret infallibilitatem ab examine, aut diligentia humana prævia non dependere, quam diffinitionem Pontificiam in dubium vocare. Hoc tamen nullatenus est spectare Ecclesiæ consensum, sed omnem humanam diligentiam cum diuino adiutorio adhibere, vt Spiritus S. specialiter assistens infallibilem veritatem fidelibus proponendam inspiret.

95 Suppono etiam prudentum, & sapientum Doctorum esse tantum doctrinaliter definire in materijs fidei, non vero potestatiue, & iudicialiter, quia hoc solius Pontificis est. Quia Doctores habent explicare, quæ sunt fidei, quæ vero hęretica, sed hoc est diffinire doctrinaliter quæ sunt fidei: ergo Doctores habent doctrinaliter definire, quæ sunt fidei: sicut namque in alijs quæstionibus, siue Theologiæ, siue

Iuris, Magiſtri doctrinaliter definiunt, rationes, & authoritates pro ſua ſententia afferentes; ita pariter in materijs fidei: hoc tamen non eſt per modum ſententiæ, & iudicij definitiui, cum prudentes, & Doctores nullatenus ſint controuerſiarum fidei iudices, quod munus ſoli Pontifici competit; ſicut namque in cauſis ciuilibus, & criminalibus aduocati habent pro ſuis partibus fundamenta, & authoritates afferẽtes, diffiniere doctrinaliter ius eſſe ex parte cuiuſque; tamen diffinire per modum iudicij, & ſententiæ ſolius Principis, aut iudicis eſt. Ita pariter.

96 Ex quo conſtat, quod Concilium prout à Papa ſegregatum, ſine ſpecialique ipſius commiſſa authoritate ſolum poteſt definire doctrinaliter; nullatenus autem iudicialiter; non enim magis authoritatis habet congregatio illa Doctorum, & Epiſcoporum, quam ſi quilibet ſeorſim ſuum aperiret iudicium, rationes adducendo pro aliqua cauſa de fide ſtabilienda: poteſtas enim, quam habent Epiſcopi, aut Doctores congregati eadem eſt, qua gaudent diuiſi, ſed diuiſi nullatenus gaudent poteſtate iudiciali circa fidei diffinitiones: ergo nec coniuncti. Doctrinalem poteſtatem in diffinitionibus fidei quã ſegregati habebant, commodius exercent congregati; ſi tamen aliquando dicitur Concilium habere poteſtatem definiendi ſeorſim à Papa, ſolum debet intelligi doctrinaliter, & per modum proponentium doctrinam talem declarationem exigentem. Si aliquando tamen Cõcilia abſque vltima confirmatione Pontificis aliquem, vt hæreticum damnarunt, hoc factum fuiſſe ſcimus ratione poteſtatis ſpecialiter à

Papa

Papa commissæ,& in illa materia specialiter secreto habebant Patres Pontificis confirmationem : sicut etiam cum Concilium habet excommunicare est ratione potestatis à Pontifice delegatæ ; ferè enim semper Concilio legitime congregato has,& plures alias authoritates,quæ pro bono Ecclesiæ,& Concilij authoritate videntur necessariæ, concedit Pontifex ; non vero quia à se, & independenter à Sede Apostolica,Concilium tali authoritate roboretur.

97 Non requiri Ecclesiæ consensum,vt iudicium Summi Pontificis sit omnino firmum:Probatur primo,ex illa Christi promissione Lucæ 22. *Rogaui pro te Petre,&c.* Quæ solum loquitur de sententia,& iudicio fidei,aut ex Cathedra, non autem de consultatione Doctorum,neque enim disquisitioni sapientum promissa est infallibilis Spiritus S. assistentia: quia promissio non errandi in fide soli Capiti fuit facta,non vero membris, nec dependenter ab illis, ideoque Concilium Ariminense,& Mediolanense à veritate declinauere Arrianam hæresim approbantia. Deinde probatur ex Concilio Florentino num.76.allato,& ex verbis ibidem notatis scilicet *Pater,& Doctor.*

98 Secundo probatur ex Cyrilo Alexandrino dicente: *Debemus Nos,vt qui membra sumus, Capiti nostro Pontifici Romano,& Apostolicæ Sedi adhærere,ad nos pertinet ab eo quid credendum, quid opinandum,quid tenendum sit quærere Quoniam solius Pontificis sit arguere,corrigere,increpare,ratum facere, disponere,solvere,& ligare.* Deinde D. Basilius epist. 52. ad Athanasium ait : *Nobis visum est consentaneum Epis-*

Episcopo Romano scribere, vt res hasce nostras visitet, atque consideret, ac statuat, vt postea quam difficile est comuni, ac Synodico decreto, quam illinc mitti, ipse authoritatem suam hoc in negocio exerceat. Præsides etiam Concilij Niseni petijerunt à Romano Pontifice Syluestro confirmationem, vt habetur in actis illius Concilij ita: *Quidquid inter alia constituimus in Concilio Niseno, precamur vestri Oris consortio firmetur.* Et D. Isidorus dicit: *Regulas, quas Romana suscipiens confirmauit Ecclesia.*

99 Secundum generale Concilium Constantinopolitanum à Pontifice Damaso confirmationẽ eflagitauit. Tertium generale Concilium Ephesinũ à Sanctis Cyrilo, & Archadio speciali authoritate Apostolica confirmatum, vt habetur in Hymaro lib. de Synodis, & per acta eiusdem Concilij constat, quod Theodosius Iunior pro illorum Canonum firmitate petijt, vt confirmatio Romanæ Sedis valuis sui Palatij, & Concilij in publicum affigeretur. Concilium Chalcedonense à Leone requisiuit confirmationem, vt illius decreta essent omnino infallibilia, quod constat ex epist. eiusdem Concilij ibi: *Ea, quæ definiuimus ad remotionem totius erroris, ad robur veræ Ecclesiasticæ ordinationis propitia, & amabilia, & ad decorẽ congrua stabilire digneris Sanctissime, ac B^mo^ Pater.* Et postea: *vobis gestorum omnium veram notitiam facimus, vt à vobis, quæ gesta sunt, statuantur, rouorentur, & concedantur.*

100 Tandem cum Concilium petit confirmationem, potest à Pontifice approbari, vel reprobari, vt ex praxi Conciliorum constat, & ex Bulla

Pij

Pij 4. confirmantis Tridentinum: sed tunc ad reprobationem non adest consensus Ecclesiæ, aut Concilij, nec opus est spectare acceptationem reprobationis, vt videre est in Concilijs omnino reprobatis, & in partim approbatis, & partim reprobatis, quia Pontifex non solum est Concilij *Præses*, sed Princeps, Pastor, & Doctor, nullatenus Subditorũ, oviũ, aut discipulorum spectans consensum. En vbi nec requiritur, nec præsupponitur Conciliorum cõsensus, vt Pontifex irreformabiliter definiat Concilium aliquod esse legitimum, & omnia in eo asserta, aut aliqua solum vera esse: quia Concilium à Papa diuisum tantum habet iudicium consultiuum, & Summus Pontifex sententialiter definitiuum, atque iudicialiter decisiuum. Hacque ratione, si Concilium aliquid de fide statuendum iudicaret, & Pontifex contrarium de fide, aut ex Cathedra statueret, teneremur sententiæ Papæ definientis, sicut & voci Dei obedire, vt accidit in Ariminensi, & Mediolanensi Concilio. Oves enim omnes Sumus, Pastoris vocem spiritus ductu sequamur, quia verbum ex Cathedra prolatum est proprijssime Verbum Dei, non verbũ hominis, vt diffuse dicam in tractatu Theologico.

101 Tertio probatur à simili ex potestate Cœsarea, vel Regali: nam iure antiquo legis condendæ potestas apud Populum existebat, vt ex §. *Lex* institutæ de iure naturali cõstat, attamen post translationem potestatis à Populo in Principem factam, hæc potestas Principi ab omnibus conceditur l. 1. de Constit. Princip. l. 2. versic. *Nouissime* de origine iuris, Couarub. pract. quæst. cap. 1. Nauarrus in cap.

Nouit

Nouit de Iudicijs n. 119. Ideoque Regiæ leges supremæ potestatis virtute legitimæ sunt, non solũ ratione potestatis à Republica translatæ, sed etiam à Deo, tanquam communitatis authore deriuatæ; vt ostendit Couarrub. lib. 1. pract. c. 1. n. 2. Soto de Iust. & Iure lib. 4. q. 2. art. 1. Et leges iustæ reputantur, eo quod à legitimo Principe ferantur, vt tradit Suarez lib. 1. de Leg. c. 12. Rebuffius ad Const. Gallic. in Procemio n. 4. Ant. Augustinus de Legibus c. 7.

102 Nam legis essentia est, vt vim coactiuam habeat, & hæc tantum in supremo Principe resideat, L. final. C. de legibus, Soto de Iustit. & Iure lib. 1. q. 1. art. 3. Castro lib. 1. de lege pęnali c. 1. Ideoque præceptum seu lex, vt tanquam lex habeatur, necessario debet potestatem referre in præcipiente, aut legis ferente, cum verbum *præcipere* sit demonstratiuum Maiestatis, & Imperij, vt tradit Suarez de Legibus lib. 3. c. 25. n. 10. Valdel. in Theologia morali lib. 5. disp. 21. n. 3.

103 Ex quibus omnibus colligitur, quod habens potestatem condendi leges potest eas statuere, absque *P*opuli consensu, alioquin potestas legis condendæ non præsupponeret potestatem in præcipiẽte, nec hæc potestas visceribus Diadematis adhæreret, quia vt docet Salcedo de Lege Politica lib. 1. c. 2. n. 16. vers. *Quia* Legislator Ciuilis, & administer Dei leges fert, & per potestatem ab ipso deriuatam tanquam minister illius operationis (cuius præceptorum contemptio magna iudicatur ab ipso Deo lib. 1. Reg. c. 8. *Non te abiecerunt, sed me*) siue descendat deriuatiue à Deo potestas ciuilis, siue mediante

trans-

translatione à Republica executa: ergo potiori titulo Pontifex, fine Populi consensu Ecclesiasticas leges, fideique diffinitiones irreformabiles, stabiles, atque firmas sacrabit. Patet consequentia, quia hæc potestas in Papa ab omnibus conceditur: est etiam legitimus Legislator, Minister à Deo institutus ad fideles instruendos, hancque authoritatem à Christo D. immediate habet, &c.

104 Hoc idem corroboratur ex alia doctrina, quam ex pluribus refert, & sequitur Salcedo loco cit. n. 13. & 14. Vbi hæc verba habet: hæc authoritas gubernatiua æqualiter legislatiua est apud Reges, ac ea, quæ in ipsa Republica assistebat ante translationem potestatis, taliter, vt coactiue ligent omnes leges à Principe latæ tanquam à legitima authoritate, cum sit Principum, & legum hæc præcipua Regalia. Quod nullatenus verificaretur, si legis potestas dependeret à consensu, & acceptatione Populi, quia tunc legis potestas non tam à Principis voluntate, quam a Populi consensu, & acceptatione, ex qua robur leges accipiebant, dependeret, falsificareturque, quod statuitur in l. 2. § 11. de origine Iuris ibi: *Igitur constituto Principe, datum est ei Ius, vt quod constituisset, ratum esset:* ergo pariter in Romano Pontifice.

105 Pro maiori tamen claritate quærendum est, quomodo intelligatur hæc propositio: *Lex lata à Principe non ligat subditos, quando à Populo non est recepta, & approbata.* Quam propositionem fundamentaliter statuit Salgado de Supplic. ad Sanctissimum 1. p. c. 2. sect. 3. à n. 116. Pro qua plurimos re-

fert authores, Hæc tamen propositio, meo videri, nihil detrahit potestati Legislatoris, quia tunc licitũ est legem à Principe latam non approbare, quando moribus alicuius *Prouinciæ* non conuenit, aut vsui contrariatur, vt tradit Castro de lege pœnali lib. 1.c.1.fol.8.sub littera B. Villalobos in sum. tom.1. tract.2.dub.16.n.6. Vbi dicit leges Canonicas non obligare, nisi acceptentur; & paulo post, supplicationes mittunt ad Sanctissimum, & annuit, cuius rationem affert Salgado loco cit.sect.4.n.155. ibi. *Quia talis præsumitur rationabilis voluntas legislatoris, nam posita aliqua iusta causa consonum videtur, vt subditi habeant aditum ad legislatorem pro reuocanda lege, et interim non obligentur eam seruare, donec legislator mẽtem suam explicauerit.* Pro qua sententia plures authores refert, quod etiam tenet Salas de legibus tract. 14 disp.13.sect.4.n.21.& sect.21. n.2. Anguianus de legibus controu.5.n.8.& 9.& expresse stabilitũ reperitur ab Ecclesia in cap *Bonæ* 2.§.*Intelleximus*, de Postul.Prælat.ibi: *Quia vero non plenam de personis illius Regni notitiam habebamus, ideoque non poteramus salua conscientia eidem Ecclesiæ in alia persona, quam de Regno Vngariæ originem duxerit congrue prouidere, nec vellemus ei præficere alienum*. Ex his omnibus, doctrinisque supra relatis manifeste constat, quod receptio legum à Populo faciẽda nihil detrahit potestati Principis, sed tantum fundatur in patientia ipsius ex suppositione, quod non vult legibus non congruis subditos ligare, præcipue cum lex in bonum commune, ferri debeat.

106 Et licet de consensu, & voluntate Prin-

cipis

cipis lex non obliget, nisi à Populo acceptetur, Princeps tamen potest absolute obligare, vt sua lex à Populo acceptetur; rationem redit Turrecremata, Archidiaconus, & alij citati à P. Suarez lib. 3. de Legib. c. 19. n. 4. quia si Princeps non posset obligare populum, vt suam legem acceptaret, iurisdictio, & potestas Principis esset illusoria, quia Principe inuito inferiores proculdubio redderent leges innanes. Si hoc tamen verum est in Principe à populo potestatem mutuante, quanto magis in Principe illam à populo non habente, sed immediate à Christo D., vt accidit in Pontifice, & non solum circa Ecclesiasticam gubernationem, sed circa fidem declarandam? Quæ quidem potestas saltim necesse est à Gallis fateatur à Deo immediate, in quo eius infallibilitas nititur, dimanare. Vnde Ecclesia tenetur captare intellectum, & acceptare fidei definitiones à Pontifice stabilitas: ergo absque Ecclesiæ consensu, & acceptatione habent infallibilitatem. Quare nũquam visum est huiusmodi definitiones ab Ecclesia reijci, aut de illis dubitare, nunquam etiam appellatio à Sedis Romanæ iudicio in causis Fidei est admissa, quæ sane cum facultate reformandi reseruāda fuisset altero iudicio infallibili, si Pontificis iudicium ex Cathedra sine consensu, & acceptatione Ecclesiæ reformabile esset.

107 Tandem nostra suadetur conclusio. Cõsensus requisitus Ecclesiæ ad irreformabilitatem iudicij fidei, vel est ipsius Ecclesiæ in se ipsa, vel alicuius Concilij Generalis illam repræsentantis, vel saltim Episcoporũ; sed nullius ex his requiritur ad

irreformabilitatem iudicij *Pontificis* in rebus fidei: ergo nullo modo requiritur talis Ecclesiæ consensus, vt iudicium *Pontificis* ex Cathedra sit omnino infallibile, & irreformabile. Maior est certa, quia nõ aliter posset consensus, & acceptatio Ecclesiæ exigi, nisi vno ex illis tribus modis. Minor vero per partes suadetur. In primis non requiritur Ecclesiæ consensus in se ipsa, aut in omnibus Christi fidelibus; tum, quia hic consensus est moraliter impossibilis, cum in tam diuersis Regionibus, & remotis *Prouincijs* sint Christiani dispersi, vt pluribus sæculis notitia acceptationis, vel consensus illorum ad nos non perueniret; tum, quia cum Romæ ad esset acceptationis notitia, iam illi fideles essent mortui, aliique rationis vsu præditi, vt suum possent præstare consensum, quod redderet fidei definitionem moraliter impossibilem.

108 Deinde non requiritur consensus Ecclesiæ in generali Concilio; tum, quia recte non fuisset prouisum Ecclesiæ, cum frequenter possit ratione nouitatum, seu hæresum ocurrere necessitas definiendi absque occasione conuocandi Concilium generale, quod quidem congregari difficilimum est. Tum, quia facile ipsa dogmata in Concilijs decissa paterent calumniæ, dum non deesset malignare volentibus occasio arguendi cõtra ipsa Concilia, quod non fuerint generalia, siue ob paucitatem Patrum Concilij, siue quia *Papa* non pręsedit per se, aut per Legatos, vti contigit in Concilio 5. generali, siue quia Concilijs celebratis in Oriente vix vllus ex Occidente interfuit: ergo per consensum Ecclesiæ in

Con-

Concilio non occluditur aditus, vt apud omnes tale Pontificis Iudicium irreformabile sit.

109 Nec etiam requiritur Ecclesiæ consensus, & acceptatio, prout scilicet importat Episcoporum acceptationem; tum, quia Episcopi, sicut, & alij fideles tenentur obedire definitioni Pontificis ex Cathedra: ergo si aliorum non requiritur consensus, nec Episcoporum; tum, quia ad Canonizationem alicuius Sancti, & ad alia fide stabilienda, vel vt hæreticalia damnanda nunquam fuit petitus Episcoporum consensus. Et totum hoc in eo Theologice nititur, quia Christi promissio non errandi in fide non fuit facta multitudini, nec Concilio generali, nec Episcopis, nec dependenter ab illorum acceptatione, sed absolute solum existenti in Cathedra Petri, & ex Cathedra fidem docenti: ergo absque tali Ecclesiæ consensu est Pontificis iudiciũ fidei infallibile, omninoque irreformabile.

110 Præterea dato, quod Ecclesiæ consensus esset ad infallibilitatem, & irreformabilitatẽ iudicij fidei necessarius (quod aperte negamus) sufficeret consultatio, & consensus Eminentissimorum Cardinalium, nam in illis Ecclesia repræsentatur sufficienti modo, vt eorum consensus, & acceptatio dicatur totius Ecclesiæ consensus, & acceptatio; sicut ad designationem personæ ad Pontificiam dignitatem sufficit determinatio illius ab Eminentissimis Dominis Cardinalibus, & ab illis adoratio, dicitur totius Ecclesiæ adoratio, quin necessarium sit recurrere ad fideles dispersos, nec ad Concilium generale, nec ad Episcopos, eo, quod in Eminentissimis Cardina-

dina-

dinalibus sufficienter vniuersalis Ecclesia repræsentatur: sicut in viginti Ciuitatis Rectoribus tota Ciuitas exprimitur, & in Regnorum Procuratoribus omnia Regna sufficienter repræsentantur.

111 His mehercle falsitas Decreti Gallicani conuincitur, ita vt prauitas illius manifeste appareat, & nullum in humano genere malum perniciosioris est criminis, quam defensio prauitatis: offensio quippe Dei meretur iram, proteruia vero prouocat ad vindictam. Hoc plane vitium sicut ex radice humani generis prodijt, quotidie pullulat, & tanquã per erumpentes arboris ramos germinare non cessat. Hoc sane præcauebat Dauid vitium, cum dicebat: *Non me demergat tempestas aquæ, nec absorueat me profundum, neque vrgeat super me puteus os suum.* Nam cum peccat homo, quasi in puteum labitur, cum vero peccata defendit, os putei super eum, ne pateat egresus, vrgetur. Corruit ergo in puteum homo, cum peccat, claudit vero sibi met os putei, dum proteruiat. Ex hac porro defensione, aut proteruia crimen hæresis nascitur. Hæresis enim interpretatur electio: & dum, quod eligit quis, defendere nititur relicto veritatis tramite, quia per abruta peruersi dogmatis rapitur in hæresim, necesse est prolabatur. Hoc autem inter peccatorem, & hæreticum distat, quia peccator est, qui delinquit, hæreticus autem, qui peccatum per prauum dogma defendit. Nos autem, qui Magistros habemus SS. Apostolos, & Apostolicos viros, non debemus, quod nobis videtur eligere, neque quod semel electum est, obstinate, & pertinaciter defensare, sed his dumtaxat, quæ à probatis Ec-

clesiæ

clesiæ Doctoribus definita sunt, fidem irretractabiliter adhibere, vt olim dicebat D. Petrus Damian. epist. 18.

SECTIO VIII.

Examinantur Patres, à quibus accepta dicitur Gallicani Cleri declaratio.

112 Qui in Fidei doctrinalibus declarationibus aliud altare, quam Sanctorum PP. quærit, non colligit, sed dispergit, aurum namque Sacræ Scripturæ, prætiosasque Ecclesiæ Margaritas abijcit, vt iniquitatis vitium, & improbas schismaticorum festucas legat. Vbi plures sunt in nomine Dei congregati, à Deo misericorditer asistentia promittitur, sed qui fatentur Regis nomine fuisse congregatos, Regis tantum asistentiam efflagitant; Pontifex enim nomen Dei portat, vtpote eius Vicarius in terris; qui ergo nec nomine Dei in seipso, nec Dei nomine in eius Vicario congregantur, nullatenus Dei pijssimã asistentiam requirunt.

113 Patres isti, à quibus declaratio ortum habuit, quibusque repetitè declaratio niti fatetur, non sunt Ecclesiæ vniuersalis Doctores: non enim fuit Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, & Gregorius, vt tota dissertatione vidimus, nec etiam sunt Græci DD. cum contrarium vnanimiter testẽtur, vt ex eorũ ore manifestauimus. Nec etiam Patres illi esse possunt Sancti illi Doctores Galli, D. Bernardus, D. Thomas, & D. Bonauentura, qui expresse adversus vestras chimericas declarationes, non solum propria au-

thori-

thoritate, sed etiam Sacræ Scripturæ, Sanctorum Doctorum, & fundamentalium rationum, à quibus hęc compendiose hausimus, aduersa fronte decertant. Qui ergo sunt Parentes illi Galliarum, à quibus venenosa declarationis doctrina emanauit? Sunt certe Patres Concilij Basiliensis, de quibus Eugenius 4. in Constitutione promulgata, & à Concilio Florentino approbata incipiente *Moyses Vir Dei*, ita describit illius Conciliabuli Patres: *Etiam Laici, & Clerici infra Sacros ordines constituti, ignorantes, inexperti, vagi, discoli, profugi, Apostatæ, de criminibus condēnati, & de carceribus fugiētes, nobis, & suis superioribus rebelles, & reliqua huiusmodi hominum monstra concurrerēt.*

114 Et paulo post: *Scandalorum duces, perniciosissimi, missceri, atque degeneres filij, praua, & adulterina generatio, Latrocinium, ad quod totius Orbis dæmonia confluxisse videantur, impij homines, à Deo abiecti, & reprobati, omnes, & singuli schismatici, & hæretici:* ergo non á Patribus, sed ab spurijs filijs ab Ecclesiæ vnitate segregatis declarationem accepistis? Si tamē in aliquo illorum asserto quosdam pro vobis afferre valetis Magistros, minime, aut schismaticæ notæ erunt. Audite Sorbonicum merito D. Duvalium 4. p. q. 7. vbi loquens de Authoritatæ Papæ super Concilium hæc habet: *Totius Orbis, exceptis pauculis Doctoribus, amplectitur, & rationibus validissimis tum ex Scriptura, Concilijs, & Patribus, tum ex principijs à Theologia petitis confirmatur.*

115 Enim vero cum furentibus ventis Gallicæ declarationis tempestas ob oritur, & procellantium Episcoporum turbo fluctiuagas in cumulos ele-

elebatur, tunc Romanæ Ecclesiæ marē in ipsa sui pelagi profunditate mitius æstuat; circa litus autem Gallicum tanto se feruentius erigit, vt naues quoque Ecclesiæ, si appulerint, frangat; vnde fit, vt remiges tunc litoribus loca contigua tanquam syrtium discrimen aufugiãt, & quietioris tunc pelagi profunda conscendãt. Sic nimirum, cum iam huius impugnationis terminus appropinquat, quasi circa litus suũ Gallicus feruor ebullit, se sequeim perturbationis, atque superbiæ cumulos erigit; & qui in præteritis sæculis veluti in pelagi profunditate quodãmodo tranquillus extiterat, nunc circa finis sui litus pestilenter exæstuat, vt applicantes quoque discrimen naufragij iure euadant. Hæc quasatio, & perturbatio de elatione, vanitateque nascitur. Ideo Salomon. *Vidi, quæ fiunt cuncta sub sole, & ecce vniuersa vanitas.* Catholica humilitate vestrum volubile subijcite iudicium infallibili Sacræ Scripturæ, Sanctorum Ecclesiæ Patrum traditionis continuatis exemplis firmato, vltimæ Summi Pastoris sententiæ acquiescite; cauete, ne per Christianissimum Regnum læthalis lepræ huius declarationis prurigo diffundat.

116 Ecclesia namque nauis dicitur, cuius Petrus, eiusque Successor est Naucleius, in illius determinatione veritatis spiritus suflat, & sine illius regimine omnino nauis turbabitur, vt inquit D. Ambrosius super Matthæum: *Nauis, quæ adhuc secundum Matthæum fluctuat, non turbatur hæc nauis, in qua prudentia nauigat, ab est perfidia, fides aspirat*; quemadmodum enim turbari poterat, cui præest is, in quo Ecclesiæ firmamentum est. Tãdem hac breui illustratione

tratione attente respicite, diligenterque consultate propter Christi D. Sanctissima merita, Sacrã Scripturam, Sanctos Patres, & Doctorum Catholicorum agmina concorditer veritatem nostram fideliter fundantia, & fidenter spero, accidat, quod in Synodo Chalcedonensi, vbi lecta Pontificis Leonis epistola ad Flauianum contra falsum Eutychis dogma, omnes Episcopi concordi voce Græcè exclamauere: *Hæc Patrum Fides, hæc Apostolorum Fides, omnes ita credimus, Orthodoxi Ita credunt, anathema ei, qui ita nõ credit. Petrus per Leonem ita locutus est.*

SECTIO VLTIMA.

Refertur pro Coronide Epistola B. Ignatij de Loyola Authoritatem Summi Pontificis compendice suadens.

117 Cum huius opusculi argumentum sit maxima dignitas, Suprema Authoritas, Potestasque plenissima Romani Pontificis, videbis paucis lineis omnia, quæ fusse, & disperse in Doctoribus reperiũtur in Epistola D. Ignatij de Loyola Sacræ Religionis Societatis Iesv Fundatoris, ad Æthiopiæ Regem Claudium, quem Abyssinorum Imperatorem, & Præteianoem vulgo vocant, vbi inuenies ingentem, ac pretiosum contineri thesaurum, quem lectoribus parare volui, vt eo fruantur, & lecto compendiũ cũ magno Sacræ eruditionis quęstu faciant. Hanc epistolam refert Manseus lib. 16. Historiæ Indiarum pag. mihi 324. Franciscus à Sancto Augustino Macedo de Clauibus Petri lib. 1. dissert. 4. c. 3. Habetur etiam

etiam hæc epiſtola lib. 15. Hiſtoriæ Societatis Iesv Scriptæ à P. Nicolao Orlandino grauiſsimo Scriptore, cuius ad illam verba præmitto. *Et ſane*, inquit Orlandinus, *Earum hic ego litterarum exemplum, quoniam non vulgarem prudentiam continet, atque doctrinam, non grauatè ſubijciam.*

Epiſtola B. Ignatij de Loyola.

Domine mi in Domino noſtro Ieſu Chriſto: Gratia tuæ celſitudini, & ſalus, & affluentia donorũ ſpiritualium à Domino noſtro IeſuChriſto. Sereniſſimus Portugalliæ Rex pro ea ſolicitudine, ac zelo, quem illi Creator noſter, ac Dominus dedit gloriæ Sancti ſui nominis, & ſalutis animarum, quę vnigeniti eius Filij precioſo ſanguine, & vita redemptę ſunt, non ſemel oſtendit mihi per litteras per gratum ſibi fore, ſi è Religioſis noſtræ minimę Societatis, quam vocant Iesv, duodecim viros deſignarem, è quibus ille Patriarcham vnum, duos Coadiutores pariter, & Succeſſores eligeret, ijſdemque à Summo Chriſti Domini noſtri Vicario ſuppliciter peteret authoritatem, & ius, quo iure ad ſuas quiſque partes rite obeundas, ipſi cũ Sacerdotibus alijs in tuæ Celſitudinis Regna tranſmitti poſſent. Ego, pro eximijs inter cęteros Chriſtianos Principes, eiuſdem Sereniſſimi Regis Portugallię meritis erga Societatem noſtram vniuerſam, noſtraque viciſsim omnium in illũ obſeruantia, & pietate, feci, quod iuſſerat: conſultoque ſequutus numerum, qui Chriſti Domini noſtri, Apoſtolorumque eius Collegium referret, præter

ipſum Patriarcham, Sacerdotes duodecim ſupple-
menti, ac velut ſeminarij cauſa è corpore noſtro cũ-
ctos excerpſi; qui ad ſubleuandas, iuuandaſque ani-
mas tuæ Celſitudinis Imperio, ac ditioni ſubiectas
ſeſe, vitamque ſuam in omnem laborem, atque diſ-
crimen offerrent. Atque hoc libentius parui, quod
præcipua quadam alacritate ſentio me, ſociosque
meos omnes ferri ad obſequium, & cultum Celſitu-
dinis tuæ, haud immerito: quippe quæ inter tot cir-
cumfuſas vndique nationes infidelium, & hoſtium
nominis Chriſtiani, veſtigijs maiorum ſuorum inſi-
ſtens ad conſeruandam, ac promouendam Chriſti
D. ac Dei noſtri Religionem, & gloriam diligenter
incumbit. Quam ipſam ob cauſam optandũ fuerat
vti ad hæc tam recta tuæ Celſitudinis ſtudia, cona-
tuſque ſubſidium accederet ſpiritualium Patrũ, qui-
bus, & legitima poteſtas ab hoc Sanctæ Sedis Apo-
ſtolicæ faſtigio deriuata, & fidei Chriſtianę pura, &
ſyncera doctrina ſuppeteret, quæ nimirum duæ ſunt
claues illæ Regni cœlorum, quas Chriſtus D. noſter
S. Petro, & omnibus, qui deinceps in eius erant ſolio
ſeſſuri promiſſit prius, deinde ipſa re tradidit. Promiſ-
ſit tãtummodo cum ad eum dixit (vt legimus apud
D. Matthæum Euangeliſtam) ego dico tibi, quia tu
es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiá
meam, & tibi dabo claues Regni cœlorum, & quid
quid ſolueris ſuper terram, erit ſolutum, & in Cœlis.
Tradidit, ac promiſſa patrauit, cum poſt reſurrectio
nem, antequam in cœlum aſcenderet, ſciſcitatus ex
eo ter (quemadmodum affirmat D. Ioannes Euan-
geliſta) Simon Bariona diligiſme plus his? Subiun-
xit

xit in singula responsa, Pasce oves meas: committes illi non partem aliquam ouium suarum, sed totum prorsus gregem vniuersa cum plenitudine potestatis, ad alendos vitali Christianæ Religionis pabulo cunctos vbique fideles, eosdemque ad Cęlestia sempiternæ beatitudinis pascua perducendi. Ac cæteris quidem Apostolis authoritatem Christus D. noster imperti jt delegatam, ac veluti extra ordinem: at S. Petro, eiusque successoribus ordinariā dedit, ac plenam: vti ab hoc Summo Pastore, tanquam à fonte reliqui animarum Pastores peterent, eidemque acceptum ferrent, quidquid omnino iuris ad suū quisque munus, ac regimen obtinerēt: quod olim adumbrasse per Isaiam videtur Dominus, cum de Eliachim loquens Pōtifice maximo, & dabo, inquit, clauem domus Dauid super humerum eius, & aperiet, & non erit, qui claudat, & claudet, & non erit, qui aperiat: quo videlicet typo figuratus est Petrus, eiusque Successores; quibus datam integram potestatem declarant claues, consuetum vtique symbolū, & insigne pleni, atque absoluti dominij. Quæ cum ita sint, Celsitudo tua gratias debet ingentes Domino Deo nostro, quod ipsa regnante, potissimum dignatus fuerit istis nationibus mittere veros animarū Pastores, qui à Summo pendeant Pastore, ac Vicario, quem reliquit in terris Iesvs Christus Dominus noster; & quantamcumque habent potestatem, quæ sane perampla est, hanc ab eodem illo Vicario totam acceperint. Nec sine causa Patri, Auoque tuæ Celsitudinis displicebat summi ab vrbe Alexandria Patriarcham: quippe sicuti diuulsum à Corpore mem-

membrum, neque motũ, neque sensum, neque omnino vitam accipit à Corpore suo: ita Ægyptius Patriarcha siue ille Alexãdriæ, seu Memphi degat, cũ schismaticus sit, ac disiunctus ab hac Sacrosancta Sede Apostolica, & ab Ecclesiæ totius capite Pontifice Summo, videlicet vitam gratiæ, & Pastoralẽ authoritatem, nec sibi recipit ipsi, nec alteri cuipiã valet legitimam impertire. Ecclesia namque Catholicà vna tantum est in Orbe terrarum, neque fieri potest, vt alia Romano Pontifici, alia pareat Alexandrino. Vti sponsus eius Christus vnus est, sic sponsa illius vnica, de qua Salomon ait in Canticis ex persona Christi Domini nostri, vna est columba mea. Et Oseas Propheta, Congregabuntur filij Israel, & Filij Iuda pariter, & ponent sibi Caput vnum: & in eãdem sententiam, multo deinde post S. Ioannes, fiet, inquit, vnum ovile, & vnus Pastor. Vna erat quemadmodum in Genesi legimus Arca Noe, extra quã nulla omnium salus. Vnum tabernaculũ, quod fabricatus est Moyses. Vnum Hierosolymæ templum à Salomone conditum: quo in templo sacrificare, & adorare opportebat. Vna cuius staretur iudicio synagoga. Hæc nimirum omnia Ecclesiã denotabant, quæ vna est item: extra quam nihil boni. Etenim, qui cum eius corpore coniunctus non fuerit, nempe nullum à Christo Capite recipiet influxũ gratiæ viuificantis anima se præparans ad fælicitatem æternam. Huiusce vnitatis declarãdæ causa, contra quosdam hæreticos in symbolo canitur, credo vnam sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiã: damnatusque à Sacris Concilijs error est, priuatas Eccle-
sias,

sias, ceu Alexandrinam, Constantinopolitanam, aut similes dari, quæ communi omnium Capiti subiectæ non sint Pontifici Romano, ex quo perpetua serie ab Sancto vsque Petro (qui Christi D. iussu, vti à Diuo Marcello Martyre traditum est, Romanam elegit Sedem, eamque suo cruore sanciuit) perducti Romani Pontifices Vicarij Christi citra controuersiam à tot, ac tanta Sanctitate Doctoribus Latinis, Græcis, omniumque Nationum habiti, ab Sanctis Anachoretis, Episcopis, & alijs confessoribus adorati; tot signis, atque miraculis, tot denique Martyrum, qui in hac fide, & vnione S. R. Ecclesiæ vitã profudere, testimonio comprobati sunt. Merito igitur consentienti Episcoporum omniũ voce, qui ad Chalcedonensem conuenerant Synodũ, Papæ Leoni pariter acclamatum, Sanctissimus Apostolicus, vniuersalis. Et in Constantiensi damnata est hæresis negantium super omnes, & singulas omnium terrarum Ecclesias Primatũ Romani Pontificis eminere. Ad quas tam dissertas, firmasque Patrum sanctiones, atque decreta Concilij quoque Florentini, quod sub Eugenio 4. prẹter alias nationes à Grẹcis, etiam Armenis, & Iacobitis tanto studio celebratum est, in hæc verba accesit Authoritas. Definimus Sanctam Apostolicam Sedem, & Pontificẽ Romanum in vniuersum Orbem tenere Primatum, ac Successorem esse *Petri*, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ Caput, & omnium Christianorũ Patrem, & Doctorem existere, & ipsi in Beato *Petro*, pascendi, regendi, gubernandi vniuersalem Ecclesiam à Domino IESV Christo potestatem plenam esse traditã.

Iure

Iure igitur Serenissimus Rex Dauid tuæ Celsitudinis genitor, misso ad obsequium Romano Pontifici deferendum legato, Sanctam hanc Sedem omniũ Matrem, ac Principem agnouit. Cumque alia multa, & præclara ipsius pariter, & tuæ Celsitudinis acta numerentur, tũ duo hæc eiusmodi sunt, vt eorũ prestantiam nulla vnquam obscuratura videatur obliuio: ac pro inde ab omnibus, qui sub isto viuunt Imperio immortales authori bonorum omnium Deo debentur gratiæ pro tam singulari in eos beneficio, vestra duorum opera, industria, virtute collato: cum alter omnium primus se in illius potestate, qui Christi vices gerit in terris perpetuo fore professus sit: alter idem primus datum ab eodem Christo Vicario Patriarcham verum, ac legitimum Sacrosanctæ Sedis huiusce filium in sua Regna perduxerit. Etenim si in magni cuiusdam beneficij loco habendum est, insitos esse corpori mystico Ecclesiæ Catholicæ, quod à Spiritu Sancto viuificatur, ac regitur, quam teste Euangelista idem spiritus docet omnem veritatem: si eximium est munus, lucem sanæ doctrinæ intueri, & Ecclesiæ fundamentis insistere, quam Apostolus Paulus ad Tymotheum scribens domũ Dei, columnam, & firmamentum veritatis appellat, cui se promisit in æternum afore Christus Dominus, inquiens, ecce ego vobiscum sum vsque ad consumationem sæculi, vt legimus apud Matthæũ Euangelistam; est sane cur sine fine gratulentur istæ nationes Deo Domino, & cõditori nostro, cuius prouidentia per tuam, Parentisque tui Celsitudinem, tãto illos bono dignata est: præsertim cum Iure sperandum

dum sit, ex hac ipsa conciliatione, consensusque fore, Christo Domino moderante, vt cum spiritualibus temporalia quoque incrementa non sine amplificatione Imperij tui, & hostiũ abiectione proveniat. Sacerdotes, qui mittuntur istuc omnes quidem, sed præcipue Patriarcha, Coadiutoresque, & Successores eius duo, spectata admodum virtute sunt, & nostra in Societate probati per omnia, ac propter illustrem Charitatem, & exquisitam, rectamque doctrinam ad hoc tanti momenti opus adserti. Neque vero illis animus in id ipsum, aut alacritas deest, haud leui concepta fiducia, labores suos ad Christi Domini gloriam, tuæ Celsitudinis rem, animarum auxilium pari cum operæ prætio collocandi. Humanæ quippe salutis amor illos, & Christi D. aliqua saltem ex parte imitandi stimulat studium, qui cruciatus, ac necem subijt volens, ac libens, vti mortales ab æterna calamitate redimeret; atque per Euangelistam: ego sum Pastor bonus, bonus Pastor animã suam dat pro ovibus suis Hoc exemplo incitati Patriarcha, & cæteri parati veniunt, non verbo duntaxat, consilioque spiritualibus adiumentis, sed ipsa morte, si res ferat, periclitantibus animis opitulari. Tua Celsitudo quo interiorem illos ad consuetudinem, ac familiaritatẽ admiserit; eo maiorẽ, vt spero, capiet in Domino voluptatem. Iam vero, quod pertinet ad fidem, ac pondus eorum, quæ ab ipsis, vel publice, vel priuatim exponentur, non ignorat Celsitudo tua, omnium, quatenus rite ligati sunt, sed Patriarchæ præcipue dictis, Apostolicæ fidei pondus, & a athoritatem in esse; ac per inde illis, & Eccle-

siæ credi oportere; cuius ab ipsis interpretanda sunt verba, & sententiæ. Et quoniam Christi fideles cunctos Ecclesiæ firmiter assentiri, eiusque decretis obtemperare, &, si quid existat ambiguum, aut obscurum eandem consulere necesse est, non dubito, quin tua excellens pietas, probitasque publico edicto curatura sit in suis Regnis, vt omnes omnium ordinũ homines, tum Patriarchæ ipsius, tum eorum, quos ille sibi substituet, dicta, præcepta, responsa citra vllam dubitationẽ sequantur. Constat ex Deuteronomio de controuersis omnibus, ac nodis ad Synagogam Ecclesiæ prænuntiam referri solitũ. Hinc illa quoque Christi D. verba, super Cathedrã Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi. id ipsum in *Prouerbijs* docet Sapientia Salomonis cum ait: ne dimittas præcepta Matris tuæ (ea est Ecclesia) & alibi ne transgrediaris terminos, quos posuerũt Patres tui, ij sunt eiusdem Antistites. Denique tantum Ecclesiæ suæ tribui, ac deferri vult Christus D. vt per Sanctũ Euangelistam Lucam aperte denunciet: *Qui vos audit, me audit: qui vos spernit, me spernit*, & per Sãctum Matthæum, *si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus*: Ex quo apparet, ne aures quidem præbendas iis, qui alienum quidpiam à sensu, & interpretatione Catholicæ Ecclesiæ attulerint, Sancto quoque Paulo in epistola ad Galatas id ipsum præmonente, cum ait: *sed licet nos, aut Angelus de cœlo euangelizet vobis præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema sit*. Ad summam hoc idem Sancti Doctores, Conciliorum Canones, fidelium omnium consensus, & consuetudo plane de-

demonstrant. Ac vicissim Patriarchæ, ac socijs pariter omnibus certum est, fixumque tuam Celsitudinem assiduo cultu submissione, atque etiam quo ad fas, piumque ferat, indulgentia prosequi. Nos vero quotquot in hisce terris, è minima nostra Societate retinemur, tua Celsitudo ad omne obsequium in Domino paratissimos habeat. Nostris quidem certe precibus, & sacrificijs, vt iam instituimus, Deo supplicare pergemus, vt regiam Celsitudinem tuam, regnumque istud amplissimum in Sãcto Christi famulatu conseruet: detque illi ita transire per bona temporalia, vt non amittat æterna. Idẽ ipse Deus, ac Dominus noster omnibus nobis ad Sãctissimam ipsius voluntatem, & clare cernendam, & rite exequendam perpetuum lumen, ac vires pro sua infinita bonitate suppeditet. Romæ septimo Kalendas Martias, millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto.

118 De hac Epistola libenter repetam, quod scripsit Macedo: Est enim non sine numine Ignatio dictata, & scripto abunde tum Catholici cõfirmãtur, tum hæretici refelluntur, & à nobis tradita doctrina pondus, & robur authoritatis accipit: nullum enim in nostris dissertationibus versatur argumentum, quod in eo desideretur, vt ea nobis è Cœlo lapsa esse videatur.

119 Quia tamen omnes istæ declarationes Cleri Gallicani eo potissimum tendunt, vt Sedis Apostolicæ dignitatem, Authoritatemque minuant, hanc D. Ignatij Epistolã retuli, sed quia super hac Cleri Gallicani declaratione potius flere cõpellimur,

quam prolixius quid scribere delectemur, ideo verbis Sancti Leonis Magni concludo: *Quisquis huic Sedi Primatum æstimat denegandum, illius quidem nullo modo potest minuere dignitatem, sed inflatus spiritu superbiæ suæ, semetipsum in inferna demerget.* Omnia in hac Eurythimia apposita ex voto S.R.E. correctioni subijcio, & tanquam indignus, humilisque filius vestigia Magni P. Augustini imitari desiderans: ipse enim ad Pontificem Bonifacium ait: *Hæc, quæ duabus Epistolis Pelagianorum ista disputatione respondeo, ad tuam potissimum dirigo Sanctitatē, non tàm dicenda, quàm examinanda, & vbi forsam aliquid displicuerit, emendanda constitui.* Ita libenter Ego.

FINIS.

APPEN-

APPENDIX EORVM; QVÆ IN HOC BREVI IVDICIO DE-clarationem Cleri Gallicani Iudicante continentur.

N. 1. Declarationis Cleri Gallicani primum fundamentum, scilicet libertates Ecclesiæ Gallicanæ, impugnatur.

2. Secundum fundamentum, scilicet, quod hæretici hāc Papæ potestatem iudicant Regibus onerosam contra ipsos retorquetur.

3. Modus definiendi, personaque definiens non sine dolore attendi potest.

4. Sacrilegium est leges sancire, aut declarare pro tota Ecclesia, etiam supra Caput.

5. Primum Cleri Gallicani assertum tripartitur.

6. Authoritatibus conuincitur errorem esse temporalem potestatem in Papa omnino negare.

7. Penitus auferre temporalem potestatem à Papa hæresim esse probauit Card. Petrus Beltrandus Gallus in præsentia Philippi Francorum Regis.

8 Hoc ius dominij temporalis in Pontifice semper fuit in Gallia firmum. Vbi notatur supplicium Dei in Francia auferre intendentibus aliquid temporale Ecclesiæ donatum, aut pacifice admissum.

9. Dari in Pontifice temporale Dominium rationibus breuiter suadetur.

10. Pro Ecclesiæ dominio temporali decertare est pro Ecclesiæ immunitate præliare, exemplo Illustrium Franciæ Regum.

11. Papam habere potestatem deponendi Reges probatur.

12. Item suadetur quia per excommunicationem Rex inhabilis exercendi Regale officiū redditur, aliquæ-

que Imperatorũ,& Regum depositiones afferuntur.

13. Proponitur solutio Guillelmi OKam circa depositionem Childerici.

14. Ostenditur talem depositiondm authoritatiuè ab Ecclesia fuisse fact.i,& simul,quod si non esset Childerici depositio non daretur Parisiensis Vniuersitas.

15. Adducuntur excommunicationes SS. Episcoporũ in Imperatores,& Reges,depositioque Philippi Pulchri Galliæ Regis à Bonifacio 8.

16. Posse Pontificem subditos à Iuramento fidelitatis Regibus præstito absolvere suadetur.

17. Iuramentum non obligat,si Ecclesiastico Iuri cõtrariatur.

18. ContraCanonicam legem non obligat iuramentũ.

19. Potest Pontifex fidelitatis iuramentum relaxare.

20. Gallorum decretum negans Ecclesiæ temporale dominium nullatenus publicæ tranquilitati est necessarium,immo illam euertit.

21. Gallicarum iudicium nullam vtilitatem Ecclesiæ & Imperio affert.

22. Cleri Gallicani declaratio minime verbo Dei, Sanctorumque exemplis consona videtur.

23. Statuitur Sessionem 4. & 5. Concilij Constantiensis non fuisse Conciliariter actas.

24. Martinus 5. approbat solum conclussa, & decreta in materijs fidei.

25. Constantiense Concilium solum determinat illud determinate Concilium supra dubios Papas habere potestatem.

26. Concilium solum adstruit authoritatẽ supra illos dubios tunc existentes Pontifices.

27. ConciliumGenerale non habere potestatem supra Papam ostendit Petrus Matthæus Gallus.

28. Authores pro nostra,veraque sententia referuntur.

29. Alij moderni adducuntur, & plures ex illis Galli maximæ notæ.

30. Prudens consideratio Petri Matthæi proponitur.

31. Papam habere authoritatem supra Concilium ex principijs Philosophiæ probatur.

32. Item,quia à Concilio appellatur ad Papam, non

vero

vero è contra.

33 Item ex Christi institutione, quia Pontifex est Pastor; fideles vero oves, quæ per Pastoris ductum reguntur.

34. Item ex eo, quod solus Romanus Episcopos potest alios iudicare, & ipse non iudicatur nisi à Deo, pro quo afferuntur Concilia, & Patres,

35. Ex ore decreti ipsorum Galli conuincũtur: si enim standum est Concilijs, ac Sacris Canonibus, affirmare tenentur Concilium supra Papam potestatem nõ habere, pro quo affertur Concilium Lateranense sess. 11. referens alia Concilia Generalia.

36. Ex Concilio Tridentino Papam supra Concilium habere potestatem suadetur.

37. Declaratur vnde hæc Suprema Pontificis supra Concilium potestas proueniat.

38. Stando Concilijs concluditur, sine dubio affirmari debere Concilium Pontifici subijci, locusque Concilij Romani hoc suadens affertur.

39. Primum Gersonis argumentum proponitur, ex eo, quod corpus non solum mole, sed authoritate maius est capite.

40. Explicatur, quomodo Papa est Ecclesiæ membrũ, & hoc non tollit supra ipsam habere potestatem.

41. Expenditur, qua ratione à Hieronymo dictum sit *quod authoritas Orbis maior est Vrbe.*

42. Papa à nemine iudicatur nisi à Deo.

43. Secundum argumentum, ex eo, quod Ecclesia est Pontificis Mater, & ita supra illum debet habere authoritatem.

44. Pontifex ex SS. Patribus est Ecclesiæ filius.

45. In quo sensu Pontifex Pater dicatur, & in quo filius prædicetur.

46. Exponitur D. Bernard. & statuitur, in quo sensu Pontifex sit Dominus, & in quo Dominus dici non possit.

47. Tertium argumentum, ex eo, quod Ecclesia ex diuina institutione est vltimum tribunal, iuxta illud: *dic Ecclesiæ.*

48. Illud præceptum intelligitur de correctione fraterna,

na; vbi vera intelligentia illorum verborum: *dic Ecclesiæ.*

49. Quid ex tertio asserto Gallicano deducitur.

50. Pontificem directiuè legibus, sacrisque Canonibus stare debere iuribus probatur.

51. Hoc solum est ratione naturali conuinci, & illa dirigi, multumque prodest Principem legem à se alijs latam obseruare.

52. Pontificem legi coactiuè non subijci ex D.Thom. alijsque Doctoribus ostenditur.

53. Summus Pontifex non est subiectus legibus antecedentis Pontificis.

54. Summus Pontifex non est coactiuè subiectus legi à se latæ.

55. Quælibet Canonica dispositio Summo Pontifici subditur, & ob bonum publicum illam potest variare.

56. Aliquando licitum est Episcopo contra Canones statutum condere.

57 Iuribus stabilitur, quando, & quomodo consuetudinibus standum.

58. D. Petri Damiani authoritate concluditur similibus consuetudinibus standum non esse.

59. Intentum vltimi asserti declarationis Gallicæ proponitur.

60 Pontifex vt priuata persona in quæstionibus facti errare potest.

61. Aliquarum decisionum experientia hoc idē suadetur.

62. Ratione id ipsum demonstratur.

63. Pontifex vt priuata persona potest in fide errare, quod experientia, atque ratione conuincitur.

64. In quæstionibus facti ad finem concernentibus Pōtifex, vt Pontifex nequit errare.

65 Satisfit obiectioni communiter à P. Augustino mutuatæ.

66 Sūmus Pontifex est viuens infallibilis fidei regula.

67 Ex Luca 22. Probatur primo; Pontificem ex Cathedra errare non posse.

68 Aliæ Ecclesiæ à fide aberrarunt, Romana tamen nun-

nunquam à vera fidei regula deuiauit.

69. Ex Patribus manifeltatur Lucæ authoritatem de Romano Pontifice loqui, simulque ex illis Romanam Ecclesiam nunquam errase.

70. Ex Matthæo 16. infallibile Summi Pontificis iudicium in rebus fidei suadetur, explicaturque quare Petrus *Petra* dicatur, & solus habeat Regni cœlorũ claues, atque quid *per soluere*, & *ligare* intelligatur.

71. Hoc idem Concilium Alexandrinum suadet.

72 Hæc eadem veritas ex Ioanne 21. demonstratur, & SS. Patrum testimonijs explicatur munus Principis designari per illa verba: *Pasce oues meas*.

73 Solutio adhibetur, scilicet, quod omnia illa Christi verba dicta Petro, non ipsi in propriâ persona, sed in [illegible]sona Ecclesiæ dicantur.

74 I[illegible] pugnatur talis solutio ex alijs Sacræ Scripturæ locis, & statuitur claues, non Ecclesiæ in communi, sed in sola Petri persona fuisse à Christo D. traditas.

75. Clarescit impugnatio ex alijs Scripturæ locis, & locutionibus Doctorum; ex suisque met verbis P. Augustinus exponitur.

76 Summum Pontificem ex Cathedra definientem esse fidei infallibilem regulam probatur secundo ex Concilio Florentino, & ibi explicatur, quo modo ad eius infallibilitatem nullatenus Ecclesiæ consensus, aut acceptatio requiratur.

77 Tertia probatio Pontifex est viuens infallibilis fidei regula, eo quod ad definiendum de fide nõ requiritur Concilium.

78 Hoc ex P. Augustino, Hieronymo, & Concilio Arausicano conuincitur.

79 Sine Concilio à tempore Apostolorum fuerunt plures hæreses à Pontificibus damnatæ, aliquæque ibi numerantur.

80 Hoc idem suadetur ex eo, quod Canonizatio est fidei solemnis protestatio, decretumque fide tenendum, ad quod solus Pontifex vltimum, infallibile iudicium imponit.

81. Id ipsum omnium Conciliorum, & Patrum traditione

ditione concluditur.

82 Quarta probatio ex Venerabili consuetudine recurrendi ad Apostolicam Sedem in fidei quæstionibus Sanctorum dictis firmata.

83 Pro hoc aliæ SS. Patrũ authoritates adducũtur.

84 P. Augustinus, alij PP., Conciliaque pro recursu in quæstionibus fidei ad Sedem Apostolicã breuiter referuntur.

85 Ex D. Thoma probatur, *de fide determinare* ad Pontificem spectare.

86 Primum contrariorum argumentum ex Pauli in Petrum resistentia.

87 Illi satisfit, ostenditurque, quod Pauli resistentia fuit solum correctio fraterna.

88 Secundum argumentum ex resistentia Cypriani decreto Stephani de non rebaptizandis hæreticis.

89 Respondetur Africæ Episcopos nullatenus iudicasse illam determinationem esse ex Cathedra, sed solum aliarum nationum consuetudinem à Pontifice proponi.

90 D. Cyprianum hunc errorem deposuisse conuincitur ex P. Augustino.

91 Tertium argumentum ex Adriani sententia, quod Pontifex potest in fide errare.

92 Adrianus vt priuatus Doctor loquitur, & de Decretalibus erga res facti, vel iuris, non vero de Pontifice ex Cathedra definienti.

93 Examen, sapientumque consilium ad fidei determinationem requiritur, ibique attingitur quomodo ijs ad definitionem Pontifex vtatur.

94 Si Pontifex non adhiberet diligentiam, & Doctorum disquisitionem, adhuc nõ posset in fide errare.

95 Doctores in materijs fidei habent doctrinaliter definire; at vero per modum iudicij, & sententiæ solus Summus Pontifex.

96 Concilium Generale sine Papa solum habet doctrinaliter definire; exponiturque quomodo Concilium excommunicat, damnat hæreticos, &c.

97 Ecclesiæ consensum ad fidei definitionem non requiri probatur ex Scriptura, & Concilio Florẽtino

68.

98 Hoc idem suadetur ex Cyrilo, Basilio, & ex Nisseno Concilio.

99 Ex petitis confirmationibus Conciliorum colligitur, à solo Pontifice irreformabilitatem habere.

100 Non requiri Ecclesiæ consensum, constat in reprobatione Conciliorum, & in Concilijs partim approbatis, & partim reprobatis, ad quorum reprobationē, neque erat Ecclesiæ, nec Conciliorū cōsensus.

101 Idem a simili ex potestate suprema sæculari colligitur.

102 Ex vi coactiua legis deducitur non requiri Populi consensum.

103 Confirmatur ex eo, quod potestas Regalis legem condendi à Deo prouenit, licet media translatione Reipublicæ.

104 Similiter ex eo, quod in Principem transfertur potestas legislatiua, quæ erat in Republica.

105 Vera intelligentia huius propositionis: *Lex à Principe lata subditos non obligat, quando à Populo non est recepta, aut approbata.*

106 Princeps sine populi consensu potest populum obligare ad legem acceptandam, & sine dubio in Pontifice in definitionibus fidei hæc practicatur potestas.

107 Quomodo nullatenus Ecclesiæ consensus in se ipsa, aut in omnibus Christianis requiratur, vt Pontificis iudicium sit irreformabile.

108 Non requiritur Ecclesiæ acceptatio in Concilio generali ad talem definitionem.

109 Non requiritur Ecclesiæ consensus prout dicit saltem Episcoporum acceptationem pro tali definitione irreformabili.

110 Ad Ecclesiæ consensum (si necessarius esset) sufficeret consultatio Eminentissimorum Cardinaliū.

111 Doctrina decreti Gallicani cum proteruia non defendatur, ne quod nunc fuit peccatum, postea in hæresim transeat, ex differentia inter peccatum, & hæresim.

112 In fidei decisionibus, aut declarationibus congregatio fieri debet nomine Dei, non Regis temporalis

peralis nomine, alias carebit Dei assistentia, licet Regalis potentia protegatur.

113 Patres, à quibus ortum duxit Cleri Gallicani declaratio, non fuerunt vniuersalis Ecclesiæ Patres, nec etiam SS. Parentes Galli, sed solum Patres Conciliabuli Basiliensis.

114 Ex verbis Eugenij 4. colligitur, qui nam fuerint illi Patres.

115 Quomodo Ecclesia pacifice in hac tempestate quiescit, vt Galli quærant veritatem, suumque reforment iudicium.

116 Gallos esse reformaturos declarationem spectatur, & desideratur.

117 Epistola D. Ignatij de Loyola ad Claudium Abyssinorum Regem refertur, in qua compendice fere tota doctrina de Papæ potestate diuinitus reperitur.

118 De hac B. Ignatij Epistola elogium Francisci Macedo debite repetitur.

119 Contra minuere tentantes Ecclesiæ potestatem verbis D. Leonis concluditur. Et omnia dicta in hac Eurythimia exemplo P. Augustini ad Sanctissimum Pontificem emendanda diriguntur.



AD CAPVT VNAM SANCTAM, IN Extrau. de Maioritate, & Obedientia.

RELECTIO.

VTRVM SVMMVS PONTIFEX TANquam Christi Vicarius omnibus, & in omnibus, siuè temporalibus, siuè spiritualibus dominetur, & præsit?

N. 1. AMicus Plato, Amicus Socrates, magis amica veritas prudenter aiebat Gerson Cancellarius Parisiensis in Epist. ad Fr. Bartholomæum Chartus: cupientes non libera proteruia, sed libertate pia scripturienti sæculo deseruire, non effrænes cursus ex Gallorum superbia, sed illos impeditos ex alicuius potius reuerentiæ adulatione, quam ex veritatis amore, reprimere solicitantes: post scisas Ecclesiæ vestes in Anglia, crines laniatos in Germania, genas percusas in Olandia, pectus angustijs miserrimis angustiatum in Aphrica, vbera suavissimo fidei lacte in

Asia orbata, nunc iam non privatis, sed publicis ictibus percussum Ecclesiæ caput in Gallia in Edicto nuper evulgato, seu declaratione Cleri Gallicani de Ecclesiastica Potestate, vberiori cordiali dolore notamus Ideoque Sacrorum Canonum Veritas, Romanæ Ecclesiæ iudicio explicata, communique SS. PP. calculo confirmata mordicus, & ad sanguinem vsque defendenda, vtpote in qua nihil, nisi certissimum esse potest, in lucem prodeat; quam ob rem in memoriam reuocamus. Cap. *Vnam Sanctam in Extrau. de maiorit. & obedient.* In cuius enodatione Complutensi Academico adstrictus mori per quatuor partes relectionis Orbem dilatabo. In prima, nempe Europa, Speciem nostri text. breviter referam, licet ex illa plures deducantur conclusiones, munditia cordis, nitela conscientię vnam potius Ecclesiæ, quam mihi pręfingam, illamque non meis coloribus, sed sacræ paginę ductibus, soliditate canonum, legum stabilimentis, firmitate facti, DD. fundatissimis rationibus verè certam, certiorem, & luce meridiana clariorem statuere conabor. In secunda ferarum progenitrice Aphrica contraria tela, & si parvi ponderis proponam. In tertia Thesauris, diuitijsque plena America Notabilia scitu dignissima pro ratione decidendi coptata adducã. In quarta diffusa Asia contraria argumẽtorum tela aperto secum Marte decertare demonstrabo, vt firmissimum nostræ elaborationis stabilimentũ testetur Europa, veneretur Aphrica, proclamet America, iactet Asia, alaudet profecto vniuersus Academicus Orbis.

2 Promissa adimplentes, & primo in Europa in-

intellectuali cursu accinti, in capit. *Vnam Sanctam* fuit propositum Bonifacio VIII. occasione Philippi cognomento pulchri Galliarum Regis tunc tẽporis cum Sacra Sede, super Beneficiorum, & Præbendarum collationem indeuitè, & irreuerenter cõtendentis, quod plurimi sub Attico Fidei Polo habitantes, sub vmbraque Catholicæ Ecclesiæ sedentes, temporalium hamo inescati, operibus non credebant, factis fateri renuebant, aut verbis dubitabant, num in omnibus, scilicet spiritualibus, & temporalibus, humiliter subijci Ecclesiæ Pastori esset de necessitate salutis? Radios doctrinæ clarissimos emittens Bonifacius VIII auctoritate D. Bernardi lib 4. de *Consid. ad Eug.* immo eius mellifluis verbis sufultus resoluit: subesse supremo Ecclesiæ Capiti, tàm in spiritualibus, quàm tẽporalibus, esse de necessitate salutis; Tum propter generales Ecclesiæ conditiones; Tum propter congruentes adaptationes; Tum propter gladios residentes in Ecclesia. Ex quibus, & præcipue ex propinatis in 3. part. text: hæc deducitur legitimo apparatu stabilienda Conclusio.

In Ecclesia, summoque Ecclesiæ Pastore est duplex gladius, aut potestas spiritualis, & temporalis: potestque Pontifex Imperatores, Reges, & Magnates à temporalibus dignitatibus deponere, bonisque contemnendis priuare ex fine incommutabilis, aut supernaturalis boni.

3 Probatur 1. in veteri testam. ex 1. cap. & verb.

Gen. vt denotetur hoc esse primum, & stabile fundamentum totius Catholici Orbis: *In principio* (& non in principijs) *creauit Deus Cælum, & terram. Et luminare maius, vt praeesset diei*, idest spirituali luci supernorum, & à quo luminare minus, & noctis temporalium mutabilis Luna lumen participat. Deuteronomij c. 17. Vbi præcepit Deus Moysi in incerto iudicio cuiusque causæ recurri ad Sacerdotem, vt iudicet. Et 1. Reg. c. 8. Vbi Samueli dixit Deus cum Regem Israelitæ postulabant: *Non Te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos.* Et 1. Reg. capit. 15. Vbi Samuel à Regia dignitate Saulem deposuit illis verbis: *Pro eo, quod abiecisti sermonem Domini, abijciet te Dominus ne sis Rex.* Et 3. Reg. c. 18. Vbi Elias iudicauit, & interfecit Prophetas Baal. Et 4. Reg. cap. 11. Vbi Ioiadas Pontifex Reginam iustis de causis non solum Regno, verum etiam vita priuauit. Ieremiæ cap. 1. *Ecce constitui Te hodie super Gêtes, & Regna, vt euellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes.* Ezechielis capit. 37. vbi postquam duas delineauit, virgam sæcularem, & Ecclesiasticam dicit: *Et Pastor vnus erit omniũ eorum.*

4 Probatur 2. In nouo Testament. ex Matth. 16. in illis à Christo, Petro, & eius Successoribus, prolatis verbis: *Quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum, & in Cælis.* Et Matth. 21. & 26. & vltimo in illis: *Data est mihi omnis potestas in Cælo, & in terra.* Et Lucæ cap. 22. ibi: *Ecce duo gladij hic*, ex Ioan. cap. 8. & cap. 18. ibi: *Petrus habens gladium eduxit eum.* Ex Actibus Apostol. cap. 5. Ex Apostol. ad Roman.

13. ibi: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*. Ex Petro Epistol. 1. cap. 2. vbi postquam subiectionem Regibus commendat, dicit: *Conuersi estis ad Pastorem, & Episcopum animarum vestrarum, &c.*

5 3. Probatur. Iure Decreti ex cap. *Quoniam* 8. dist. 10. & ex cap. *Enim vero* 4. dist. 19. ex capit. *In memoriam* 3. eiusdem dist. ex cap. *Omnes* 1. dist. 22. ex cap. *Tibi Domino* 35. dist. 63. ex cap. *Quis dubitet* 9. cap. *Duo sunt* 10. cap. *Si Imperator* 11. dist. 96. ex cap. *Authoritatem* 2. cap. *Alios, item* 3. cap. *Nos SS.* 4. cap. *Iuratos milites* 5. causa 15. quæst. 6. Iure Decretalium, ex cap. *Venerabilem* 34. *de electione*, cap. *Solitæ* 6. *de maiorit. & obedient.* cap. *licet* 10. *de foro compet.* cap. *Licet vniuersis* 6. *de voto, & voti redempt.* Iure Sexti, ex cap. *Grandi de supplenda negligent. Prælatorum*, cap. *Ad Apostolicæ* 2. *de re iudicata*: Iure Clementinarum, *Clement. Pastoralis* 2. ver. *Nos quoque, de re Iudicata*, Clement. 1. *de iureiur. in princip.*

6 Hanc nostram conclusionem expresse omnes Ecclesiæ PP. tuentur D. Dionysius de Diuinis nom. cap. 4. D. August. innumeris in locis, speciose tamen in serm. Principum Apostolorum incipiente, *Fortis, & humilis*, D. Bernardus lib. 4. de *Consideration. ad Eugenium*. S. Ildebertus epist. 40. D. Ambrosius epist. 4. S. Bonavent. in 4. dist. 37. in expositione litteræ, dub. 4. & in lib. de Eccles. Hyerarchia part. 2. & in opusc. *de authoritat. Pap.* D. Antoninus in summ. tit. 3. *De dominio Regn.* cap. 2. Mag. sentent. lib. 2. dist. 23. Angelicus M. D. Thomas lib. 3. de *Regimine Principis*, cap. 10. & 15. & 19. & in 2. dist. 44. art. 3. ad 4. & lib. 1. contra errores Græcorum, capit.

 32.

3.2. Venerabilis Beda in Comment. D. Lucę cap. 22. Card. Bellarm. lib. 5. de Rom. Pontifice per totum, Alvarus Pelagius de *Planctu Ecclesiæ* lib. 1. cap. 59. Guillelmus Benedictus in cap. Raynutius de Testament. verbo *Et uxorem*, decis. 2. num. 8. Qui licet sit natione Gallus, docte hanc sententiam prosequitur, & num. 21. addit: *Iurisdictionem Ecclesiæ temporalem tentans auferre, in sua iniquitate confunditur.*

7 Ex Augustinianæ Familiæ DD. cum suo M. P. August. pluribus in locis decursu lectionis afferendis, pro hac sententia, & veritate viriliter disputant. Hugo de S. Vict. lib. 2. part. 2. capit. 4. & de officio Prælatorum 1. par. B. Ægid. Roman. de Renuntiat Pap. cap. 7. & de Potestat. Papæ à cap. 1. B. Augustinus Triumphus, siue Augustinus de Ancona in Summ. *de potestate Ecclesiæ*, quæst. 1. art. 1. & 7. & 8. & 9. & quæst. 23. art. 1. Alexan. de Oliva in Sum. 4. par. quęst. 10. mem. 2. §. 2. in verbo: *Pro Rege nostro*, & 3. part. quęst. 4. memb. 5. Alexand. de Sancto Elpidio, tract. *de potestate Ecclesiæ*, cap. 7. Iacob. de Viterbo 1. part. tit. *de duplici potestate Papæ*, num. 1. Franciscus à Christo in 3. sentent. distin. 4. quæst. 6. M. Alphonsus de Mēdoza in suis Quodlibet. *de Dominio Christi*, §. 14. Ill. Villarroel toto tract. de duplici gladio. M. Marquez in suo *Christiano Gubernatore*, libr. 2. cap. 28. Franciscus à S. Aug. Macedo, qui licet sit Minorita debet inter veros Augustini discipulos primum obtinere locum Tom. *de Clauibus Petri* Dissert. à cap. 1.

8 Exornant nostram Conclusionem D. Ioannes del Castillo lib. 3. controuèr. cap. 19. ex nu. 118.

Mar-

Martha de iurisdic.1.part.cap.19 & seqq.Castillo de Bobadilla in Polit.lib.2.cap.17. nu.5. Palacius Rub.speciali tract.de retent.Reg.Nauarræ per totum; Thomas Carleval de iudicijs tit.1.disput.2. num. 134. Cirena de Offic.Sanct.Inquisit.part. 1. tit.1 ex num.57.Augustin. Barbos in Pastorali part. 1.cap.2.num.5.Solorçan.de Iure Indiar.lib.2.cap. 22.& 23.Valençuela Velazquez in *defens.Monitorij Pauli* 5.contra *Venet.* 5.part.num.100.& seqq.D. Salçedo *de lege Politic.*lib.3.cap.1.à num.9.Anguiano de leg.lib.2.contro.17.à num.29.D. Larrea *decis.Granat.* 1.a num.5. Miñano *Basis Pontif. iuris* tract.2.fundamento 2.quæst.3.à num. 14.Alijque plurimi,quos erudite,pariterac docte citat,prurientis Gallicæ petulantiæ faculas dissolvens, huius nostræ Vniuersitatis Sacrorum Canonum D.D. Michael Moez de Iturbide *in comment.*lib.6.Decretal p.1.ad cap.*Grandi* 2.*de supplend.negligent.Prælatorum* tit.8. Petrus de Palude in 4.dist.23.Thom.de Vualdēs. lib.2.doctrinę fidei,art.3. Ioannes de Selva Gallus tract.de benefic.part.1.quæst.4. Boetius Gallus in opusc.de *Hierac.Ecclesias.* Et hæc est 1.Europę pars.

9 Licet hæc conclusio solidis Sacræ Scripturæ fundamentis sit stabilita, sacrorum Canonum quadratis lapidibus structa PP.& DD.concordi iudicio circunvallata, aliquibus non leuioris armaturæ tormentarijs illā in hac secunda Aphricana parte in fauillas dissolvere conantur Sambleæ Parisiēsis Consiliarij, aut Episcoporum novum Apocryphum Gallicum Parlamentum iussu Regis Congregatum, in quo tot fuerunt sententiæ quot capita,

quod clare verbis sui Ædicti demonstratur: *Spiritu Sancto Authore praesidentes*, aiunt, verius dicerent: Deo permitente, & Diabolo suadente. En illorum primum argumentum. Vicarius Christi D. & Petri Successor ampliori non gaudet potestate, quam Christus D. vt Redemptor executioni mandauit, *l. nemo plus iuris, l. nemo plus commodi, l. in ijs* 156. §. Non debeo, *D. de regul iuris; l. si in eum*, §. *qui iniuriarum*, *D. si quis caution.* & pluribus alijs, quae de subrogatorum natura, tradit Tiraq. de primogen. quaest. 40. ex num. 34. Sed nullam potestatem Christus D. verbis, aut factis demonstrauit circa saecularia: ergo Ecclesia, aut Christi Vicarius nulla gaudet potestate circa secularia. Maior paret, quia servus ampliori dominio, quam Dominus non resplendet, nec discipulus est super Magistrum, vt habetur Matth. 10. Minor probatur ex Luca cap. 12 in illis verbis: *Magister dic fratri meo, vt diuidat meam hereditatem: ille dixit ei: homo, quis me constituit iudicem, aut diuisorem super vos?* Ac si diceret in Mundanis cupiditatibus nec sum Iudex, nec Rex. Ex Ioann. c. 18. Vbi Christus interrogatus de regno respondit. *Regnum meum non est de hoc mundo*: Vnde Robertus Gaguinus in vita Philippi pulchri temere ausus est dicere. *Bonifacius Christi praeceptorum minime recordatus, adimere, & conferre regna pro suo arbitrio conabatur; cum non ignoraret eius se loco versari in terris, cuius Regnum nō de hoc mundo, & terrenis rebus, sed caelestibus esset*: ergo Christus D. nec Regiam, nec judicialem potestatem operibus, aut doctrina vllibi expresit: non enim venit ad auferendum regnum temporale, nec de il-

lo

lo pro nutu disponere, sed ad Cœlestia Regna hominibus donanda, vt canit Ecclesia contra crudelissimum Infanticidam ex metu amittendi temporale dominium, in illis verbis:

Hostis Herodes impie | *Non eripit mortalia,*
Christum venire, quid times? | *Qui regna dat Cœlestia.*

Ergo Christus, nec regali, nec iudiciali potestate mũdana factis, aut verbis se insignitum ostentat; & cõsequenter, nec etiam Christi Vicarius.

10 Augetur difficultas, quia iuxta SS. PP. Christus nunquam carnali, & temporali regali stẽmate coronatus prædicatur, sed solum spirituali, & æterna. Testetur hoc lumen Ecclesiæ D. Augustin. lib. 17. *de Ciuit. Dei*, cap. 7. ibi: *Christo Iesu Domino nostro per Nouum testamentum non carnaliter, sed spiritualiter regnaturo.* D. Hieronymus super c. 2. Hieremiæ, ibi: *Regnum eius* (scilicet Christi) *non terrenum erit, & breue, sed perpetuum, & cæleste*, D. Ambrosius lib. 3. super cap. penultimum Lucæ, ibi: *Nõ sæculari honore regnauit Christus, nec in leconiæ sedibus.* D. Basilius in illud Lucę 1. regnauit in domo Iacob, ait: *Non in materiali sede Dauid Dominus sedebit, sed sedem Dauid appellat, in qua residet Domini indissolubile regnum.* D. Bernardus homil. 1. in illa verba: *Missus est*, ibi: *Dabit ei Dominus sedem Dauid Patris sui, non typicam, sed veram, non temporalem, sed æternam, non terrenam, sed cælestem.* Nicolaus de Lyra exponens illud Ioannis 28. nunc autem regnum meũ non est hinc, dicit: *Secundum veritatem diuinitatis omnia sunt subiecta Christo, tamen quantum ad humanitatem in primo aduentu suo non venit ad dominandum*

dum temporaliter, sed magis ad seruiendum, & patiendum ergo Christus D. Regali Iudiciaria, aut politica potestate se insignitum non præbuit hominibus, & consequenter nec eius Vicarius.

11 Secundum argumentum. Potestas Ecclesiæ ex æquo ita diuersa apparet à Regia, vt nec Regia temporalis in spiritualem, nec spiritualis Ecclesiastica in temporalem tanquam in messem alienam falcem mittat. Sed in Supremo Ecclesiæ Antistite est potestas spiritualis: ergo nequit in ipso esse Regia, aut temporalis potestas. Maior probatur ex Matth. cap. 22. vbi dicitur: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.* Vbi Christus diuisit temporalem potestatem Imperatoris ab spirituali Dei, & Ecclesiæ, quælibetque determinatis circumscribitur terminis, si enim iniustæ reputantur Imperatorum decisiones de Ecclesiasticis, & spiritualibus aliquo quęsito colore disponentes, vt passim docent DD. in cap. *Ecclesia S. Mariæ de constitutionibus*, cũ pluribus ab Alciato tradditis in leg. *Iubemus*, C. *de sacros. Eccles.* iniusta erit similiter præsumptio Ecclesiæ se negotijs temporalibus, & sęcularibus implicantis, vt dicitur 2. ad Timoth. *Nemo militans Deo implicet se negotijs sæcularibus.*

12 Augetur difficultas ex Nicolao I. in capit. *Quoniam*, dist. 10. ibi: *Quoniam idem mediator, hominum homo Christus Iesus sic actibus proprijs, & dignitatibus distinctis officia potestatis vtriusque discreuit*, & in fine, ibi: *Ac vicissim non ille rebus diuinis præsidere videretur, qui esset negotijs sæcularibus implicatus:* & in cap. *ad verum* 96. dist. ibi: *Cum ad verum ventum*

tum est ultra sibi neque Imperator Iura Pontificatus arripuit, neque Pontifex nomen Imperatorium usurpauit. Gelasius Papa in cap. *duo sunt* 96. dist. *Duo sunt quippe Imperator Auguste, quibus principaliter hic mũdus regitur: authoritas sacra Pontificum, & regalis potestas.* Leo Papa in cap. *Nos si incompetenter* 2. quęst. 7. §. *Sed notandum est*, ibi: *Quod duæ sunt personæ, quibus mundus iste regitur: regalis videlicet, & Sacerdotalis, sicut Reges præsunt in causis sæculi, ita Sacerdotes in causis Dei:* & paulo post: *Sicut Ozias à Domino lepra percussus est, quia Sacerdotum officia usurpare voluit, sic Sacerdotibus, & Prophetis Regum officia usurpare non licuit.* Innocentius III. in cap *Solitæ de Maioritat. & obedient.* His duas potestates Firmamenti luminaribus Soli, & Lunę comparavit, dicens. *Et non negamus, quia præcellat Imperator in temporalibus illos, qui ab eo temporalia suscipiunt, sed Pontifex in spiritualibus antecellit, quæ tanto sunt temporalibus digniora, quanto anima præfertur corpori, ut quanta est inter Solem & Lunam, tanta inter Pontificem, & Reges differentia agnoscatur.* & in cap *Per venerabilem. Qui filij sunt legitimi.* Vbi dicitur: *Insuper cum Rex superiorem in temporalibus minime agnoscat:* & in cap. *Nouit de Iudicijs*, ibi: *Non putet aliquis, quod Iurisdictionem illustris Regis Francorum perturbare, aut minuere intẽdimus, cũ ipse Iurisdictionẽ nostrã nec velit, nec debeat impedire.* Et paulò infer. *Non enim intendimus iudicare de Feudo, cuius ad ipsum spectat iudicium,* Alexand. III. in cap. *Lator*, & cap. *Causam* 2. *Qui filij sint legitimi*, ait: *Non attendentes, quod ad Regem pertinet, & non ad Ecclesiam de talibus possessionibus iudicare.* Ni-

colaus Papa in cap. *inter hæc* 6. 33. quæst. 2. ibi: *Sed sancta Dei Ecclesia mundanis numquam constringitur legibus, gladium non habet, nisi spiritualem*: & in cap. *Imperium*, dist. 10. *Nolite præiudicium Dei Ecclesiæ irrogare; illa quippe imperio vestro nullum præiudicium infert*. Hosius Cordubensis Episcopus in epist. Athanasij, zelo Dei. Imperatori facie ad faciem dixisse narratur: *Tibi Deus Imperium, nobis autem, ea quæ sunt Ecclesiæ, Christus commisit*. Ergo ex his omnibus cõstat, quod potestas Ecclesiæ, aut Summi Præsulis ad spirituale solum extenditur, Regibus, & Imperatoribus indemni relicta temporali potestate.

13 3. Argumentum. Potestas temporalis tribuitur Imperatori, & Regibus immediatè à Deo, & non Ecclesiæ interventu: hoc ipso nequit in Ecclesia dari temporalis potestas: ergo Ecclesiæ nullo modo subest temporalis potestas. Maior suadetur ex illo Prob. 8. *Per me Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt*. Ex Apostol. ad Roman. 13. *Nõ est potestas nisi à Deo, quæ autem à Deo sunt, ordinata sunt*: & ita ordinata, vt sicut potestas temporalis solum temporalia, spiritualis solum spiritualia intendat. Idem habetur cap. *Si Imperator* 96. dist. Quod luculenter Hispanica regnans sapiẽtia in suis ad Orbes regẽdos Partitis, leg. 1. in fine, & leg. 7. tit. 1 p. 2. demonstrat: *E otro si dixeren los Sabios, que el Emperador es Vicario de Dios en el Imperio para fazer justicia en lo temporal, bien assi, como lo es el Papa en lo espiritual*. Idem quam pluribus circunscribitur legibus, quas ne moleste generem ex repetitione fastidium, consulto omitto.

Pro-

14 Probatur hæc doctrina ex eo, quod Summus Pontifex à Regia Maiestate aliquem deponere non potest; sicut nec creare Regalem, aut Ducalem dignitatem, vt docet Baldus, & Alberic. per textum in cap. 1. de *feudis*, Marchion. in *vsibus feud.* Immo Summus Pontifex fuit aliquando ad sedem euectus per Imperatores, vt habetur in cap. *In Synodo*, dist. 63. aliquando per Christianissimum Regem Franciæ, vt habetur in cap. *Adrianus* 63, distin. Vbi dicitur ab Adriano Papa, & vniuersa Synodo, apud Imperatorem Carolum M. residere ius eligendi Summum Pontificem, & ordinandi Sedem Apostolicam, circa quod plura congerit Petrus Cenedus in *Collect. ad decretum*, cap. 64. num. 1. pag. 93. Imperator, & Reges non soluunt tributa Pontifici: Pōtifex vero Imperatori, ab ipso exordio nascentis Ecclesiæ tributum solvit, vt patet Match. 17. Vbi Christus pro se, & Petro tributa donavit: & habetur in cap. *Magnum* 11. quęst. 1. & in cap. *Tributum* 23. q. 1. apud Paulum Æmilium in vita Pipini fol. 81. Similiter à Rege non agnoscente superiorem nequit ad Papam appellari, vt habetur in cap. *Si duobus*, § *fin de appellat.* ibi: *Tenet que demum in his, qui sunt temporali nostræ jurisdictioni subiecti. in alijs vero, etsi de consuetudine Ecclesiæ teneat, secundū Iuris rigorem credimus non tenere.* & leg. 17. tit. 23. partit. 3. A Papa autem potest ad Regem fieri appellatio via Iuris tuitiui, aut naturalis defensionis, vt practice in tota Hispania non reluctante Ecclesia experimur: ergo potestas Regia ita diuersa est à Papali, vt ex hac nec ortum ducat, nec per hanc in Reges trans-

transfundatur, consequenterque Pontifex, Reges, & Magnates à suis sæcularibus dignitatibus deponere non valet. Hæc sunt sublimia, & magna Sambleæ Parisiensis fundamenta in breviores angustias redacta sine perspicuitatis dispendio, vtilissimo selecta compendio, veluti de pusilla Statua Herculis Epitrapesiosi Statius lib. 4. Sylvarum cecinebat.

Quanta experientia docti
Artificis curis, pariter gestamina mensæ
Fingere, & ingentes animo versare collosos.

Et hæc est 2. Orbis Academici Aphricana pars.

15 In 3. America huius Orbis parte notabilia thesaurizantes, aurum Sacræ Scripturæ, Sacrorum DD. argentum, humaneque eruditionis æs communi vtilitati afferentes aliquantum immoremur. Prælibandum 1. nullum latere Summum Pontificem, vt Supremum vrbis Regem in Ditionibus ab Imperatoribus, & Regibus Ecclesiæ commissis gladio cingi temporali: nam de Populi vnanimi consensu Constantinus M libenter donavit Sylvestro, & Successoribus Romam, aliasque Provincias, propter quod Magni cognomen merito fuit adeptus. Vt habetur in cap. *Constantinus* 96. dist. Et tradit Platina in vita Sylvestri, quam merito factam cessionem confirmavit Ludovicus Pius Rex Francorum filius Imperatoris Caroli M. vt habetur in capit. *Ego Ludovicus* 63. dist. Theodosius Imperator tempore D. Gregorij temporalibus Ecclesiam amplificavit: Hoc enim matura consultatione vissum fuit authoritati Ecclesiæ expediens. Quare apochryphum iudico, quod ex aliorum auditu refert Menchac.

de

de succeff.creati 1.part.lib.3.§.30.num.335. nempe, quod cum Constantinus illa temporalia Ecclesiæ donavit, fuit audita hæc vox è Cœlo: *Hodie infusum est venenum Ecclesiæ*: Quia nihil iudicant tàm efficax ad avertendum homines à vera Religionis tranquilitate, quàm summarum dignitatum spes proposita, divitiarumque temporalium amplissima copia. Vt tamen dignoscatur quam sine fundamento illa vulgarizavere hæretici, mature cõsiderent Annales attente evoluẽtes, quod Ecclesiam temporalibus locupleЄtantes fuerunt Pipinus, Carolus M. Ludovicus Pius, Lotharius, Otho M. Carolus IV. Sygismundus, Maximianus, Fide clarissimi Imperatores, & Pontifices acceptantes tales donationes, fuerunt gloriosissimi Sancti, miraculis, & virtutibus multò plus Ecclesiam ditantes, & illustrantes, quorum facta sunt à Sede Apostolica indefectibiliter Canonizata. Nempe Sylvestri, Damasi, Innocentij, Leones, Gregorij, Pauli, Pij, &c. Fuit enim ad regimen, & culmen Ecclesiæ aptissimum, vt divitijs ministraretur, iam pro Divino cultui necessarijs, iam pro ministrorum congrua sustentatione, iam ad egenis succurrẽdum, quod maxime expedit regimini, & charitati Catholicæ: Christus namque permisit, vt in suo Apostolatu essent loculi, & in eis nummi ad sumptus faciẽdos, vt patet Ioan. 13. vbi de Iuda dicitur. *Loculos habens ea, quæ mittebantur, portabat*, scilicet ad necessaria emẽda, & egenos sublevandos, vt dicit Euangelium, ita intellectum à PP. vt videre est in Gloss. ordinaria, & in extrau. Ioannis 22. capit. *Quorundam*, de V.S. vbi do-

docet cum P. August. quem laudans citat Christum eas gestasse pecunias, non omnino abdicata proprietate, ad infirmorum solatium, quibus grave est illa prorsus privari, & ad nudum vsum reduci, vt tradit ibi Gloss. multis juribus citatis. Divitiæ enim venena non sunt, sed antidotum sanativum, & præservativum, bonum, & malum in illarum administratione ex diverso tractandi modo experimento agnosces: Dives erat Iob, & tamen Sanctus, & timens Deum; opulentissimi fuere Imperatores, & Reges, & plures Deo ex toto corde, & mente dediti: Hi enim vtuntur, sed non fruuntur diuitijs; & malum solum est vti fruendis, & frui vtendis.

16 Quod nunc certum est, quod Papa consecratur vt Sacerdos, & diadematur vt Rex, notitiã que diei suæ Regalis coronationis Regibus, & Magnatibus prænuntiat, & cum osculo pedum à Principibus adoratur; vt refert Petrus Gregor. lib. 6. Syntagm. 1. part. capit. 7. num. 6. & Iosephus Stephanus in tract. de *Adorat pedum*, cap. 7. In huiusque testimonium Pontifex non vtitur vaculo, aut sceptro denotante jurisdictionem, & potestatem acceptam ab homine, quia illam habet solum à Deo emendicatã. Text. cum Gloss. in cap. 1. §. *finali de sacra Vnctione*. Ideoque 1. Petri 2. dicitur: *Regale Sacerdotium*, eo quod simul sit Sacerdos, & Rex; aut vt habetur, cap. *Quis dubitet* 96. distin. ibi: *Quis dubitet Sacerdotes Christi Regum, & Principum, omniumque fidelium Patres censeri*: & in *Extr. Vnic.* Ioannis 22. *Ne sede vacante aliquid innouetur*, ibi: *Cum in illo ad sacularem judicem nequeat haberi recur-*

sus,

sui, ad Summum Pontificem, cui in persona B. Petri terreni simul, & Cœlestis Imperii iura Deus ipse commisit, Imperij prædicti iurisdictio, regimen, & dispositio deuoluuntur. Hac etiam ratione *Papa* vocatur, idest omnium Pater, siue Stupendus, venerandus, & admirandus Pater, vt constat ex Concilio Chalcedonensi act. 16 & testitur Baronius in Martyrol. ad diem 10. Ianuarij. Licet enim antiquitus Episcopis nomen Papæ vulgariter tribueretur, ob eminentiam tamen dignitatis solus Pontifex Summus nunc Papa cognominatur.

17 Huius Supremæ Potestatis suis Vicarijs à Christo D. commissæ Sybillæ prophetice mentionem fecere, à quibus Virgilius accepit, quæ per fabularum caliginem alio dirigebat, dum Eclog. 4. cecinit.

Vltima Cumæi venit iam carminis ætas
Magnus ab integro sæclorum nascitur ordo.
Iam reddit, & Virgo, redaeunt Saturnia Regna,
Iam noua Progenies Cœlo demititur alto,
Paccatumque reget patris virtutibus Orbem.

Et paulopost ab hac potestate omnia dependere fatetur, dum lætanter hæc intonat.

Aggredere, ô Magnos, adderit iam tempus, honores
Clara Deum soboles, magni Iouis incrementum,
Aspice conuexo nutantem pondere Mundum
Terrasque, tractusque Maris, Cœlumq profundum,
Aspice, venturo lætentur vt omnia sæclo.

Hanc supremam Regiam jurisdictionem in D. Petri festiuitate canit Ecclesia.

Tu es Pastor ouium Princeps Apostolorum,
Tibi tradidit Deus omnia Regna Mundi.

18 Hinc amplissimam Pontificiam, simulque Regiam potestatem eleganti, pariter ac breui verborum compendio constrinxit Ecclesiæ M. D. August. P. *Serm. de Principibus Apostolorum incipiente: Fortis, & humilis.* Ita: *O mira, & ineffabilis gratia Saluatoris! Quis plebeium piscatorem Apostolorum facile crederet Principem? Et Regibus obsistere? Reges sanctificare? Regnis omnibus imperare? Mundum refrænare legibus? Dæmonem calcare pedibus? Iubere virtutibus? Cælum hominibus aperire, cum velit; claudere cum placeret? Conuersis donare, negare peruersis? Merita Mundi cognoscere? Culpas, & crimina hominum relaxare?*

19 Temporibus Apostolorum B. Ignatius post Deum ante omnes Reges, Pontificem, vt Principem, & vt Sacerdotem Summum colendũ scriuit Epist. ad Smyrnenses, ibi: *Vt Principem, Sacerdotum, imaginem Dei ferentem, Dei quidem propter principatum, Christi vero propter Sacerdotium.*

20 D. Bernardus lib. 2. *de considerat. ad Eugenium*, cap. 8. sic melliflue alloquitur: *Age indagemus diligentius quis sis, quam geras pro tempore personam in Ecclesia Dei? Quis es? Sacerdos magnus, Pontifex Summus, Tu Princeps Episcoporum, Tu Hæres Apostolorum, Tu Primatu Abel, Gubernatu Noe, Patriar-*

cha-

chatu Abraham, Ordine Melchisedech, Dignitate Aaron, Authoritate Moyses, Iudicatu Samuel, Potestate Petrus, Vnctione Christus Et infra *Alij in partem solicitudinis: Tu in Plenitudinem Potestatis vocatus es. Aliorum Potestas certis cohartatur limitibus, Tua extenditur, & in ipsos qui Potestatem supra alios acceperunt*. Et in fine lib. 4. Pontificem nominat *Christianorum Ducem, Pastorem plebium, vltorem scelerum, malorum metum, malleum Tyranorum, Regum Patrem, Legum moderatorem, Canonum dispensatorem, Sal terræ, Orbis lumen, Sacerdotem Altissimi, Vicarium Christi, Christum Domini, Deum Pharaonis.*

21 Petrus Blesiensis suo æuo celebratissimus, relatus, & iure optimo laudatus à Cardin. Baronio in Parænesi ad *Remp. Venet.* pag. 6. Cœlestinum Pontificem ita alloquitur: *Princeps Apostolorum adhuc in Apostolica Sede regnat, & imperat, & in medio est constitutus iudiciarius rigor, illudque restat, vt exeratis in maleficos,* Pater, *Gladium Petri, quem ad hoc constituit super Gentes, & Regna, Christi Crux antecellit Cæsaris Aquilas, Gladius Petri gladio Constantini, & Apostolica Sedes præiudicat Imperatoriæ Potestati. Vestra Potestas à Deo est, an ab hominibus? Non ne Deus Deorum loquutus est vobis in Petro Apostolo dicēs: Quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum, & in Cælis, & quodcumque solueris super terram, erit solutum, & in Cælis.*

22 Pro hac vera, firmaque doctrina stabilienda omnes Scholasticos DD. afferre possem; sed pro omnibus sufficiant duo Fulmina Scholastici belli, generales Ecclesiæ Duces, soliditatis, simulque

ingenijin Academijs celebratissima culmina, Angelicus inquam præceptor D. Thomas, & fæliciter audax Subtilissimus D. Scotus, ille lib. 3. de *Regim. Princip* cap. 10. 15. & 19. vbi concludit: omne dominium quodcumque est, non modo in Italia, sed in toto Orbe habere principiũ, virtutem, & operationem à Dominio Papæ, non solum spirituali, sed etiam temporali, quod dedit illi Christus, qui temporaliter est Dominus Orbis, & directè ad spiritualem vitam suum ordinauit principatum: & lib. 1. de *Regim Princip* cap. 1. & 6. ait: *Romano Pontifici Vicario Christi oportet omnes Principes Populi Christiani esse subiectos: sicut & ipsi Domino Iesu Christo, qui non solum Sacerdos, sed etiam Rex est vocatus.* Hic vero in tract *de perfect status*, quæst. 9. quem sequitur Troilus in tract. de *Canoniz. Sanctorum.* dub. 2. ait: Quod Papa est Vicarius Christi, non solum in quantum Christus fuit Ecclesiæ Prælatus, sed in quantum fuit totius Mundi Dominus, & quod de statu, & bonis omnium hominum potest ordinare. His accedat solemnis D. Parisiensis Henricus de Gandabo quodlib. 23. vbi hæc habet: *In Ecclesia Militante sub Deo Christus (secundum quod homo) caput est, & Monarcha, Hierarcha primus post Christũ Petrus erat, cui ambas claues tradidit, & duos gladios commisit. Vnde Papa habet vtrumque gladium spiritualem, & temporalem, in authoritate quadam prima, & superiore*, & quodlib. 6. quæst. 23. resolvit quod de jure Diuino, & naturali Sacerdotium supereminet Imperio, & penes Pontificem residet vtraque jurisdictio, & super temporalia, & super spi-

ſpiritualia, & ſimiliter eius executio, & ſecundum hoc Sacerdos Apoſtolicus ſe habet ad Reges, & Principes tanquam architecti ad artifices, eis leges, & regulas dando, ſecundũ quas debẽt juriſdictionem ſuam exequi, & populos regere.

23 Nec novum judicari debet in lege gratiæ fungi Sacerdotio, & Regno, qui verè vt caput Vrbis, & Orbis adoratur, cum apud Gentiles idem fuerit Rex, & Sacerdos, vt cecinit Virgilius 3. *Æneid.* verſ. 80.

Rex Anius, Rex idem hominum, Phœbique Sacerdos.

Idem habetur Geneſ. 14. In legeque naturæ habens temporalem juriſdictionem, dicebatur Sacerdos, Geneſ. 41. *Filiam Puthipharis Sacerdotis Heliopoleos*, Exod. 2. *Erant autem Sacerdotes Madiam*. Melchiſedech fuit Rex, & Sacerdos; quia in lege naturæ erat juri Primogenituræ annexum Sacerdotium, vt docet D. Hieronymus in qq. Hæbraicis colum. 9.

24 Tempore Reipublicæ Romanæ Epiſcopi ſuper diuinas, & prophanas res vniverſali juriſdictione erant inſigniti, vt docet Cicero lib. 2. de legib. Valerius Maxim. lib. 1. cap. 1. Lateque id oſtendit Cæſar Baron. anno Chriſti 57. n. 33. & Petrus Gregor. de *Arte juris*, cap 8 n. 4. Pluribusque alijs locis citat. à Bobadilla lib 2. Polit. cap. 17. fol. 6. 73. Eccleſiaſtici namque aptiſsimi ſunt ad iudicãdum ſæculares, vt dicitur 1. Corinth. 6. ibi: *Neſcitis, quoniam Angelos judicabimus? Quanto magis ſæcularia;*

ria. Quod approbauere Imperatores, l. *Omni innouatione*, l. *Priuilégia*, C. *de sacrosanct. Eccles.* & in Autent. *de Ecclesiasticis, titulis, & Priuilegijs*, cap. 1. & Iustinian. in Authent. *Vt differentes judic.* §. *Si vero contingerit*, & §. *Si vero hæc*, collat. 9. in Cōcilio Cabilonensi dicitur in rebus arduis sęculares judicantes, imperantesque Vrbes consilia ab Episcopis requirant, vt docet Petrus Gregor. *de Syntag. juris*, 3. p. lib. 47. cap. 10. nu. 18. Hacque irrefragabili gubernandi ratione in Hispania nostra omnes Episcopi sunt à Regis consilijs.

25 Inter Ægyptios Sacerdotes politice, & ciuiliter judicabant teste Æliano lib. 14. de *Varia Histor.* cap. 34. Inter Lacedæmonios idem erat Iudex, & Sacerdos, Authore Xenophonte lib de Republ. *Lacedæmoniorum*. Inter Gallos idem fuit Pontifex Maxim. ac Rex, vt traddit Iulius Cæsar, lib. 6. *Comment. belli Gallici*. Inveterata consuetudo erat apud Græcos, vt summo jure in sacra, ac profana Sacerdotes simul instruerentur, vt ostendit Plutarch. Poblem. 108.

26 Inter Hæbreos fære semper Dignitas Regia ac Sacerdotalis vnita permansit. De Heli dicitur, 1. Reg. 2. Samuelé habuisse temporalem jurisdictionem habetur 1. Reg. 7. & postea vnxisse Saulem in Regem 1. Reg. 8. Moysem, & Aaron fuisse Sacerdotes, ex Psal. 98. manifeste constat, ibi: *Moyses, & Aaron in Sacerdotibus eius*, relato in cap *Sacrosancta* 22. dist. Habuisseque temporalem jurisdictionem legitur Exod. 18. Eliam constituisse Reges notatur 3. Reg. cap. 19. Eliseum in Regem creasse Iehu

Iehu 4.Reg.cap.9. Salomonem non administrasse Regnum quousque Sacerdotali decoraretur authoritate expressè notatur 3.Reg.cap.1. Et de pluribus alijs refertur 2.Paralipom.cap.19.& Ezechielis 44. Ideoq; in superhumerali vestis Sacerdotalis, que *Poderis* appellabatur, totum Orbem contextum gerebat, vt denotaretur Sacerdotem suis humeris quasi totum gestare Orbem, & illum sua rationali doctrina, & veritate gubernare, vt advertit Boz. lib.1. de ruinis Gentiũ cap.1.pag.128. Hac etiam de causa ad Sacerdotes præcipuè spectabat Terram promissionis diuidere, & vnusquisque partem sortiebatur, quam illi Sacerdotes designabant, vt habetur Iosue 14. Cum ergo apud Sapientissimas Nationes Sacerdotalis, regiaque dignitas fære semper in eadem persona copulentur, admirationem nullatenus generabit in novo Christiano Orbe eundem pro Summo Sacerdote, simulque amplissimo Rege à Christo D. delegari.

27 Pontificia potestas non solum circa spiritualia, verũetiam circa temporalia radicitus hoc syllogismo demonstratur. Pontifex vt Christi Vicarius habet omnem potestatem plenam, absolutam, & perfectam, qua Christus degens in terris pollebat: Sed Christus gaudebat pleno, absoluto, summo, & perfectissimo dominio, Regiaque potestate non solum circa spiritualia, verumetiam circa temporalia in vniuerso Orbe: Ergo Pontifex vt Christi Vicarius gaudet pleno, absoluto, perfectissimo dominio, regiaque potestate non solum circa spiritualia, verumetiam circa temporalia in vniuerso

ſo Orbe. Maior ſuadetur, Tum quia Catholicè credi debet, quod Pontifex Chriſtum repræſentat, & quod ſicut alia Privilegia, immo excellentiora, nempe circa ſpiritualia, ei contulit, debuit illi poteſtatem circa temporalia minoris authoritatis communicare iuxta text. in cap *Quanto de translatione Epiſcopi*, cap. *Vt noſtrum, vt Eccleſiaſt. benefic.* cap *Fundamenta*, §. *Digne de Elect* lib. 6. cap. *Pro humani de homicid.* eodem lib. Et alia innumera, quæ de tranſlatione dominij temporalis notantur cum D. Thoma de Regim. Princip. lib. 3. cap. 10. In immenſoque noticiarum Mari ad portum noſtræ deciſsionis fęliciter pervenies, ſi Thomam Boſium conſulto inſpicias lib. 16 *de Signis Eccleſiæ Dei*, capit. 1. Tum, quia Pontifex eſt Vicarius Chriſti, & cum eo idem Tribunal conſtituit, cap. *Licet*, cap. *Quanto*, cap. *Inter corporalia de translat. Epiſcop.* cap. 1. v. *Porro vt Eccleſ. benef.*

28 Tum, quia Chriſti, & Eccleſiæ eſt idem Regnum, & eadem Poteſtas, vt conſtat ex illo Math. 16. *Quodcumque ligaueris, &c.* & ex illo Ioan. 21. *Paſce oues meas.* Vbi Petro, & eius ſucceſſoribus immediatè Deus illam traddidit poteſtatem, vt erudite obſerbat noſter doctrina, & exemplo venerãdus M. Excell. & Ill. D. D. Fr. Payus de Rivera in ſuis ſcriptis, ſicut, & in illo ſe prodit quædã à natura, matura, & ſevera gravitas, ita modeſtè tamẽ, vt ſerenã animi benignitatem vterque laudaverit Orbis: teſtificent Apologiæ Editæ, loquaturque hoc Regale Complutẽſe S. P. N. Auguſtini Collegium, vbi Magiſterium tanta cum maieſtate implevit, Cœnobiũ

Val-

Vallisoletanum, Collegiumque D. Mariæ de Aragon, vbi Præfecturam tanto cum exemplo compleuit, quam invitus tum oneri humeros submisit, tam sedulus deinde Provinciam diffinitorie administravit. Non potuit Infulam Goatemalensem ab humeris suis excutere, quod vim Sacram adhiberet Illustriss. Magist. Frat. Martinus de Montalvo Provinciæ tunc Præfectus, excommunicationis gladium paratus in eum stringere, nisi acceptaret; Reluctansque postea Archiepiscopus Mexicanus declaratur. Deinde novi Hispanici Orbis Prorex, generalisque Dux, quibus muneribus simul ita integre funtus est, vt de successoribus nemo loqueretur, nec ipsos experiri desiderasset. Viribus omnibus, continuatisque precibus à Proregiatu exoneratur, & electus est ad Conchensem in Hispania Episcopatum, vt ad locum vnde exijt illud doctrinæ, & regiminis flumen, revertatur: tàm generoso tamen fastu, quàm alij captant, Episcopatum Conchensem cum Archiepiscopatu Mexicano renunciavit, rerum temporalium, immo etiam spiritualis salutis aliorum curis ita abdicatis, vt nec per Regiam Curiam transire ab instantijs sanguinis amore continuatis sui Nepotis Excell. D. Ducis Methinæ Cœli tunc sicut, & nunc Catholicæ Maiestatis Caroli nostri Secundi, primi Ministri, & vniuersalis Proregis cogeretur: totum se Deo nunc temporis dicat, & ideo ad loca sola tanto opere amata, ad solitudinis pauperrimum Conventum B. Mariæ del Risco inter suos adhuc situ Eremiticos Fratres, quos profunda rerū scientia delectat, magisque vi-

tæ

tæ exemplo commonet, fulmerizans pauper reverṫtit.

Quo nihil maius, melius ve terris
Fata donavere, bonique Diui
Nec dabunt, quamvis redeant in aurum
Tempora priscum.

Digressionem permisit meritorum excellentia tāti singulariter viri, iam non vt viui, sed vt Mundo mortui, & in parvissima Celulla sepulti, laudandi: ipse enim in explicatione Apologetica aliquarū propositionum circa materiam Conceptionis, prima propositione, § 3. num. 71. cum cōmuni Theologorum, docet Pontificis Potestatem esse immediatè à Deo.

29 Ecclesia namquè apud omnes SS. PP. est dilecta Christi Sponsa, vt habetur Cantic. 4. & 5. *Veni de Libano Sponsa mea*, & Sponsæ non decet reluctanter negare, quod in persona Sponsi, libenter conceditur, leg. *Princeps*, ver. *Augusta*, D. *de legib.* ibi: *Augusta autem licet legibus soluta non sit, Princeps tamen eadem illi priuilegia tribuit, quæ & ipse habet.* Vnum quippe corpus, vnamque vocem debet habere Sponsus, & Sponsa. Audite fidei Mag. August. P. tom. 10. serm. 234. circa expositionem Isaiæ capit. 61. *Sponsum, & Sponsam Christum intelligimus, & Ecclesiam, sed erunt duo in carne vna, Sacramentum magnum (inquit Apostolus) in Christo, & Ecclesia, igitur iam non duo, sed vna caro. Si igitur caro vna, competenter, & vox vna. Rursus idem Isaias alibi optime me-*

meminit vnum esse ipsos duos; loquitur enim in persona Christi, & dicit: Sicut Sponso imposuit mihi Mitram, & sicut Sponsam ornauit me ornamento: vnus videtur loqui, & Sponsum se fecit, & Sponsam se fecit, quia non duo, sed vna caro: quia Verbum caro factum est, & habitabit in nobis: illi carni adiungitur Ecclesia, & sic Christus totum corpus, & caput.

30 Tum, quia B. Petro canit Ecclesia: *Tibi traddidit Deus omnia regna mundi.* Et Nicolaus Pōtifex cap. 1. dist. 21. ait: *Ecclesiam solus ille fundauit, & super petram fidei mox nascentis erexit, qui B. Petro vitæ æternæ clauigero iura terreni simul, & Cœlestis Imperij commisit.* Quod etiam habetur in cap. *Omnes* 22. *dist.* consonatque text. in capit. Tibi Domino 63. dist. cap. *Alius*, cap. *Nos SS.* capit. *Authoritatem* in fine 15. quæst. 6. cap. *Quia Prælatus* 1. q. 4. & cap. *Duo* 96. dist. *Extrau. si fratrum*, §. *Sane in nostram*, Ioann. 22. cap. *Licet ex suscepto, de foro compet.* cap. *Venerabilem de electione.* Clem. *Pastoralis de re judicata*, cap. *Ad Apostolicæ eodem tit.* lib. 6.

31 Hoc olim per Isaiam Dominus adumbrasse videtur, cum loquens de Eliachim Pontifice Maximo cap. 22. dixit: *Et dabo Clauem domus Dauid super humerum eius, & aperiet, & non erit qui claudat, & claudet, & non erit qui aperiat.* Quo Typo Petrus, eiusque successores significantur; per claves vero traditas integra adumbratur potestas: traditio enim clavium fuit, & est vsitatum Symbolum pleni, supremi, atque absoluti dominij, l. *Clauibus* 74. D. de *Contrah. empt.* cum alijs tradditis à *Couarub.* lib. 3. *variarum*, cap. 16. num. 11. & ex leg. *Traditio*,

D.

D.de *Adquir.rer.dom* l.*Duo*, D.de *Precario*, l.3.D.de *Adquir.possess.* cum pluribus aliis erudite notatis à Franc.à S.August. de *Clauib.Petri*, lib.1. dissert.2. cap.2.

32 Amplificet, concludatque assumptum D. Cyrillus in lib. *Thesaur.* his verbis: *Dedit Filius Dei Petro plane, & perfecte claues Regni Cælorum, quoniam sicut ipse accepit à Patre ducatum, & sceptrũ Ecclesiæ Gentium ex Israel eggrediens, super omnem Principatũ, & Potestatem, & super omne quodcumque est (vt in eius nomine genua cuncta curuentur) plenissimam potestatem; sic & Petro, & eius Diaconis, hoc est Successoribus, non minus, sed plenissime commisit.*

33 His principiis matura consideratione adhibitis firmissimus erit circa maiorem propositionem assensus. Nec audiendi sunt dicentes, rectam non esse illationem: hoc potuit Christus qua homo, & ergo potest Papa, qua eius Vicarius: Christus namque qua homo, sine dubio facultatem habuit faciendi virtute propria miracula, instituendi Sacramenta, remittendi sine Sacramentis peccata, qua quidem Potestate Papam carere certissimum est: ergo similiter non erit recta consequentia. Christus habuit temporalem Iurisdictionem: ergo & Papa, vt eius Vicarius.

34 Non inquam audiendi sunt, tum quia instituere Sacramenta; sine Sacramentis condonare peccata; virtute propria miracula patrare, &c. Pertinent ad potestatem Excellentiæ, & eminentiæ Christi vt Dei, non vt hominis, & capitis Ecclesiæ; Potestas vero circa temporalia conuenit Christo

vt

vt homini, ad finemque sui Principatus desservit; tum quia à Potestate superiori congruenter deducitur inferior; à potestate vero inferiori congruenter non arguitur superior, vt humanis liquet exemplis: sed Potestas circa spiritualia est superior Potestate circa temporalia, potestas vero circa temporalia, & spiritualia regulariter ordinata est inferior potestate instituendi sacramenta, remittendi sine sacramentis peccata, patrandi virtute propria miracula, &c. Ergo quamvis ex Potestate circa spiritualia inferatur Potestas circa temporalia; ex Potestate temporali, & spirituali inefficax est deductio ad Potestatem excellentissimam instituendi Sacramenta, &c. Tum quia Vicarius Christi operatur nomine Christi, & nomine proprio miracula patrare non valet, sed solum Christi nomine, nec instituere Sacramēta, nec debitum peccati sine Sacramentis remittere: quia hoc propriissimum est dominij proprietatis, & non Vicarij alterius nomine operantis.

35 Hoc ostendit Ioan. Apocalip. 2. ibi: *Qui vicerit, & custodierit vsque ad finem opera mea* (attēde, *opera mea*, inquit, & non illorum) *dabo illi Potestatem super gentes, & reget eas in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringentur, sicut & ego accepi à Patre meo.* Hunc exponens locum P. August. homil. 2. super Apocalip. ait: *In Christo* (considera, *in Christo*, & non in Petro, aut Innocencio) *habet Ecclesia hanc Potestatem, sicut dicit Apost. ad Rom.* 8. *cum illo nobis omnia donata fuisse:* ergo Pōtifex in Christo, & vt Christi Vicarius gaudet plena, perfecta, absolutaque potestate, qua Christus D. pollebat in terris.

Mi-

36 Minor vero illius syllogismi radicitus conuincentis nostram decisionem, scilicet quod Christus D. habebat perfectum, absolutumque dominium, non solum circa spiritualia, sed etiam circa temporalia probatur; tum quia Christus D. non solum vt Deus (de quo nullum vnquam potuit esse dubium) sed etiam vt homo fuit omnium Rex etiam temporalium, omniaque illi vt homini subiecta debito inferioritatis vinculo, vt de fide agnosco cum Thoma Boz. *de ruinis gentium c.* 1. Qui recte iudicat hæreticum esse ab hac recedere sententia, cum eam adhuc elementa, & inanimata eius nutui obedientia prædicent, & omnes Ecclesiæ PP. doceant. P. Aug. lib. 2. *de Concupiscentia*, pag. mihi 109 & epist. 120. ad Honoratum, & lib. 3. de Doctrina Christian. c. 31. & tom. 10. serm. 234. Ambros. in epist. ad Hebræos. Hieronymus p 7. S. Irenæus lib. 4. adversus Heres. c. 37. Iustinus q. 140. Athanas. lib. 5. cap. 4. Basilius in Psalm. 2. Cyrillus Hierosol. Catech. 10. Chrysost. cap. 1. ad Ephes. Cyrillus Alex. lib. 2. in Ioan. cap. 13. Hilarius lib. 2. sup. Matth. in principio. D. Gregorius Homil. 3. in Ezech. Euthymius lib. 7. in Lucam cap. 19. D. Bernardus lib. 3. *de Considerat. ad Eugen.* Et communiter Theologi in 4. dist. 48.

37 Tum quia huic veritati adstipulantur statuentes Christum D. à primo suæ conceptionis instanti, siue ex dono Patris, siue Iure fundato in vnione hypostatica, gaudere plena, absoluta, & vniuersali Iurisdictione tàm in spiritualibus, quàm in temporalibus circa totum Orbem, ita vt absque alicuius

cuius iniuria potuerit omnia Regna sibi appropriare, alijs donare, Reges omnes deponere, de omnibusque vt vniuersalis Dominus adlibitum disponere, quin hoc proprietatis dominium aufferat ab Imperatore, & Regibus iura, & dominia, siue Iure gentium, siue sanguinis possessa: quia Christus D. licet licite potuerit, nolluit tamen illa aufferre, propter humilitatem, & mansuetudinem, cum venerit spiritualia potius ministrare, quam temporalia, vt ex Matth. 20. & Marci 10. Videre est, Hæc est fære omnium Theologorum sententia, vt videri potest apud Michaelē Mauelem. *de Monarch.* 1. p. lib. 3. cap. 5., & illam, vt communem docet Gonet Gallus super 3. p. D. Thom. disp. 22. art. 4.

38 Tum ex Regio vate suadetur Psalm. 2. & 23. in quibus prænunciat Christum amari vsque ad Mare dominaturum, Reges, & Insulas munera illi oblaturos, habiturumque Gentes in hæreditatē suam, & terminos terræ in possessionem suam. Et Psalm. 8 dicitur habere manibus, immò, & pedibus omnia subiecta, quæ Pater habet in sua Potestate. Quod etiam aperte demonstratur Matth. cap. vltimo. Ioan 5. & 12. 13. & 16. & Psalm. 88. Vbi Prophætatur ex eius semine perpetuum Regem nasciturum, quod etiam præuiderat Iacob. Genesis 49. dum dixit non defuturum Sceptrum de Iudà, nec Ducem, & fœmore eius, donec veniat verus perpetuusque Rex Christus D. vt communiter PP. interpretantur. Et Psalm. 109. Vbi Christus dicitur Sacerdos secundum ordinem Melchisedech, qui vt dixi, fuit simul Rex, & Sacerdos: hoc clare ostendit

dit Apost. ad Hæbr. 6. vers. 7. dicens: quod sicut Melchisedech fuit Rex Iustitiæ, & Rex Pacis, & ab Abraham decimas accepit, & illi benedixit. Ita Christus est Rex in perpetuum, in præsenti visibili, & futuro invisibili Mundo: Quod etiam clariori verborum compendio. Vaticinatus est Isaias cap. 9. *Factus est Principatus super humerum eius, & vocabitur nomen eius Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps Pacis: multiplicabitur eius Imperium, & pacis non erit finis, super Solium David & Regnum eius sedebit, vt confirmet illud, & corroboret in Iudicio, & Iustitia à modo, & vsque in sempiternum.*

39 Tum ex Nouo Testamento statuitur hæc veritas. Apocalyp. cap. 19. *Et habet in vestimento, & in fæmore Suo scriptum Rex Regum, & Dominus Dominantium.* Quod secundum communem Patrũ Interpretationem intelligitur de Christo secundum humanitatem, quæ Diuinitatis vestimentum nuncupatur; vt docet D. Gregorius homil. 3 in Ezech. Quo loquendi modo clare denotatur Christũ non solum vt Deum, sed etiam vt hominem esse Regẽ, & Regum Dominvm: Ideoque dicitur *Omnes Reges terræ adorauerunt eum, & omnes gentes seruient ei*; Vt denotetur eius Principatum, & Potestatem esse super omnia, & super omnes. Quod clarè prædicat Apost. 1. Corinth. 15. ibi: *Deus enim cum illud ei tradidit, omnia subiecit sub pedibus eius; cum autem dicat omnia subiecta sunt ei, sine dubio præter eum, qui subiecit ei omnia.* Hoc dominium, tàm temporale, quàm spirituale, tàm in præsenti, quam in futuro sæculo descriptum

criptum passim invenies apud Apost. ad Ephes. Colossenses, Philip. & Hæbr.

40 Tum quia *Theologizantes* omnes DD. cum Mag. in 3. sentent. dist. 14. *de Humanitate Christi D.* concorditer affirmant Omnipotentiam Dei fuisse communicatam Christi D. Humanitati, vt est instrumentum coniunctum Verbo, vel per conuersionem idiomatum; & quod per vnionem hypostaticam Humanitas Christi fuit ita eleuata, vt pro nutu suæ voluntatis esset principium efficiens, instrumentale tamen miraculorum, & rerum supernaturalium, vt docet D. Thom. 3. p. q. 56. art. 1. ad 3. Ideoque Humanitas Christi à SS. PP. frequenter Deificata, oleo Diuinitatis Delibuta, &c. prædicatur: Ergo Christus in quantum homo dicitur, & est Rex, tàm in Spiritualibus, quàm Temporalibus omnium supremus. Quod luculenter demonstrat Euthym. lib. 7. in Lucam cap. 19. ibi: *Quemadmodum ferrum, quod in igne aliquo tempore permansit, habetque ignis rationes, ita quoque Sancta eius caro Diuinitati vnita, quæ Diuinitatis sunt, operabatur. Ideo manus quidem mortuum, ac desertum corpus coniunxit, vox autem recedentem animam reuocauit.*

41 Nec audiendi sunt dicentes Christum D. in quantum Deum esse omnium Regem constitutum; quà hominem vero, nec Iure hæreditario, nec Iure electionis Populorum, nec Iure sanguinis fuisse totius Orbis in Temporalibus Regem: nõ Iure hæreditario: quia à nullo fuit hæres institutus; non Populi electione: quia cum cognovit, quod volebant eum Regem instituere, fugit in Montem

ipse solus, vt dicit Ioan. cap. 6. ver. 5. Non etiam Iure sanguinis: quia licet erat ex Regia Tribu Iudà, descendebat tamen per lineam Maternam, id est, per B. Virginem; & per muliebrem lineam nullum adquirebatur ius ad Regnum; nec etiam per Mariam Iure sanguinis potuit in Regnum venire: quia Regnum Iuda fuit truncatum in Ioachim ducto cum Principibus Israel per Nabucho-Donosorem in Babilonicam Captiuitatem, vt habetur 4. Reg. cap 24. Qui Ioachim fuit postea appellatus Iechonias, vt habetur Hieremiæ 37. huiusmodique Regnum in eius Familiam postea restituendum non erat, vt dicitur Hieremiæ 22. vers. 20. his verbis: *Nec enim erit de semine eius vir, qui sedeat super Solium Dauid: & Potestatem habeat vltra in Iuda.* Post Transmigrationem Babilonis factam sub Zorobabele, vt reffertur lib. 3. Esdras cap. 5. Regnavit Simon Filius Mattathiæ, & eius Successores, qui fuerunt de Tribu Levi, vt docet Baronius in apparatu Annaliũ cap. 5. & habetur lib. 1. Machab. cap. 14. ibi: *Et suscepit Simon, & placuit ei, vt Summo Sacerdotio fungeretur* (Sacerdotes enim solum erant de Tribu Levi) *& esset Dux, & Princeps Gentis Iudæorum, & Sacerdotum, & praeesset omnibus. Et Scripturam istam dixerunt ponere in tabulis ereis, & ponere eas in peribolo Sanctorum, in loco celebri: Exemplum autem eorum dixerunt ponere in ærario, vt habeat Simon, & Filij eius.*

42 Non inquam audiendi sunt; tum quia Christus qua homo fuit à Deo Rex constitutus: quia qua Deus à se ipso, & essentialiter est Rex, & à nullo Do-

Dominus constitutus. Quod clare ostendit P. Aug. super Psalm. 149. ibi *Christus à Chrismate dictus est, idest ab vnctione, Reges autem vngebantur, & Sacerdotes. Ille vero vnctus est, & Rex, & Sacerdos. Rex pugnauit pro nobis, Sacerdos obtulit se pro nobis*; Tũ quia Christus in quantum homo, est Filius naturalis Dei, vt communiter docent Theologi contra Scotum. Minus rectè intellectum, cum non neget Christum esse naturalem Filium Dei, sed solum affirmet per adoptionem, & liberam Dei Voluntatem habere vnitam Personam Verbi Diuini, quæ est naturalis Filiatio Dei, & ita esse adoptatum in naturalem Filiationem. Et habetur in Concilio Francofor Epist. ad Episcopos Hispaniæ, Editionis Colloniens. pag. 146. col. 2. ibi: *Si verus Deus, & verus Filius, nequaquam adoptiuus, quia doptiuus, sicut in testimonio S. Hylarij positum est, non vere natura est Filius*. Idem dicitur in lib. Sacro Syllabo, pag. 149. col. 2. Sed Filius naturalis habet ius ad hæreditatem Paternam, quæ in Deo Patre est totius Orbis, tam in spiritualibus, quàm temporalibus: ergo Christus in quantum homo habet Ius naturale, aut fundatum in naturali Filiatione ad bona spiritualia, & temporalia totius Orbis, tum quia Christo D. vt homini dono vnionis hypostaticæ debet tribui supremum Dominium circa temporalia, & spiritualia, quia debet illi tribui ratione talis vnionis quidquid dicit perfectionẽ, & compatitur cum munere Redemptoris. Vnde frequenter SS. PP. pro fide fatentur esse legitimam hancillationem. potest communicari, & est perfectio: ergo de facto datur in Christo, vt verificetur

illud Ioan. 1. *Plenum gratiæ, et veritatis*. Tum sic; sed perfectio est gaudere supremo Dominio in Tẽporalibus, & Spiritualibus; aliunde hoc potest cõmunicari, & componitur in Christo, immo maximè congruit ad munus Redemptoris obeundum: ergo defacto tale Dominium in Christo resplendet; tum quia infinitis Christi meritis debetur omne præmiũ possibile: sed tale vniuersale Dominium est præmiũ possibile, sicut & exaltatio sui Santissimi Nominis, gloria Redemptoris, &c. Ergo illi Iure meritorum debebatur Vniuersale totius Orbis Dominiũ. Hoc testatur inscriptio super Caput Christi propheticè in Cruce possita: *Iesus Nazarenus Rex Iudæorum*, Hæbraicè, Græcè, Latinè conscripta, vt omnes linguæ, omnesque Nationes suum verum merito Redemptionis proclamarent Regem.

43 Tum quia in Regnum succedere possunt per fæmineam lineam, & ita Regnum Israel non fuit finitum in Ieconia, vel Sedecia, vt putauit Iulianus Apostata: quia licet nullus per lineam Virilem ex Tribu Iuda postea Rex fuerit; tamen post Transmigrationem Babilonis conseruatũ fuit Regnum in Zorobabele, & Azamoneis per lineam Paternam descendentibus ex Tribu Leui, & per Maternam ex Tribu Iuda: Ideoque 1. Machab. cap. 3. Azamonei dicuntur de Tribu Iuda. Et Matth. 1. & Lucæ 3. Mattathiæ iam Iuda, iam Leui nomen in Christi Genealogia tribuitur: ne dicamus ante aduentum Christi translatum fuisse Regnum a Tribu Iuda contra tex. Gen. 49. *Non aufferetur Sceptrum de Iuda, nec Dux de fæmore eius, donec veniat, qui mittendus*

tentus est. In quo tamen non fundatur Dominium Christi, vt plerique Iurisperiti, sine fundamento asseruere, quia licet Christus per Mariam succederet in Regnum, solum per Mariam haberet Ius ad Regnum Iudà, non vero ad Vniuersalem totius Orbis Principatum. ergo ex Successione per Mariam nullatenus deducitur Christi D. vt hominis in vniuerso Orbe Potestas.

44 Tum, quia Christus D est Rex totius Orbis, non Iure sanguinis, nec hæreditatis, nec electionis populorum, sed triplici præstantiori titulo, scilicet Dono Patris: *Quia omnia dedit ei Pater in manus*. Ioan. 13. Iure creationis, quia Christus, vt homo fuit creatus cum vnione ad personam Verbi, ratione cuius est Filius naturalis Dei cum pleno Dei Dominio, & Potestate. *Cui enim Angelorum aliquando dixit Filius meus es Tu*; vt docet Apost. ad Hæbr. 1. Iureque Redemptoris, quatenus suis Infinitis meritis Vniuersale totius Orbis Dominium comparauit, vt habetur Ioan. 12. *Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum*, idest iure meritorum Mortis, & Passionis omnia mihi erunt omni modo subiecta. Quod dulciter Mellifluis vocibus demonstrat D. Bernardus lib 3. de *Considerat. ad Eugen.* ibi. *Dispositio Tibi super Orbem credita est, non data possessio. Non Tu ille, de quo Propheta ait: & erit omnis terra possessio eius. Christus hic est, qui possessionem sibi vendicat, & Iure creationis, & Merito Redemptionis, & Dono Patris. Cui enim alteri dictum est, postula à me, & dabo Tibi Gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ*. His concluditur minor illius

syllogismi,& ex omnibus propositis comperto liquet consequens,scilicet,in Supræmo Ecclesiæ Antistite dari amplissimam,Supręmamquè Potestatē, simulque vniuersalem Iurisdictionem non solum circa spiritualia, verum etiam circa Temporalia in omni mundo visibili: Ideoque illam attente animaduertens quidā Anglicus relatus à Glos.in Proęm. Clem.stupore admiratus dixit:

Papa stupor est Mundi,qui maxime rerum
Nec Deus est,nec homo,quasi neuter inter vtrumque.

Hæc de primo Americæ Thesauro.

45 Prælibandum 2.communi Theologorum,& Iurisperitorum calculo,vt temporali gladio insignitum Summum Præsulem fateantur, dicunt, talem Potestatem in ipso non residere formaliter, directè,& in actu,sed solum indirectè,in habitu ,& in potentia, qua scilicet illa eget Ecclesia ad finis supernaturalis assecutionem, ad deffendenda spiritualia,ad protegenda Ecclesiastica,atque ad conseruandam communem vtilitatem, pacificamque Fidelium vnitatem,quod colligi videtur ex D. Tho. de *Regim Princip.*lib.3.cap.13.& obseruat. Cardin. Bellarm.de Roman. Pontifice controu.3.cap.1.dicentes tamen Imperia,& Regna immediatè à Deo procedentia,ab Ecclesia,eiusque Vicario,vt à causa secunda,deriuari,reperiri fateri tenētur in Christi Vicario directam,formaliter,& in actu Temporalem Potestatem,pro qua sententia affert plusquam quinquaginta maximæ notæ DD.Solorz.de *Iure Indiar.* lib.2.cap.22.num.19.& cap.23.n.50. Vbi authoritatem

ritatem, non solum indirectam, verumetiam directam Temporalem constituit. Suadetur, Tum, quia in Christo D. fuit talis Potestas Temporalis in actu, formaliter, & directè: ergo directè, formaliter, & in actu in Papa invenitur. Consequentiam probat argumentum in antecedenti notabili num. 27, à nobis propositum; eo quod in Papa est Potestas, quæ in Christo residet, &c. & quia idem est Dei, & Pontificis quantum ad gubernationem Dominium, sicut eadem est Iurisdictio Delegantis, & Delegati: ergo si in Deo, & Christo est Dominium Temporale in actu, & directè, in Papa talis Potestas Temporalis inuenietur directè, & in actu: in actu enim fateri necesse est Potestatẽ, quamvis non exerceatur: aliud namque est Potestatem dari in actu, aliud vero dari actum, & exercitium talis Potestatis: Exempli gratia. Rex noster Carolus II. cum nullam Regiam Potestatem exercet, est Rex in actu, quamvis pro tunc Regiam Potentiam per exercicium non exprimat: similiter homo dormiens in actu habet intellectum, & voluntatem potestates suorum actuum, quamvis in illarum actus somnio sopitus non prorrumpat: ergo licet Papa frequenter non exerceat temporalem Potestatem, illam tamen in actu habet: Ideoque responsum Christo D. dedere Apostoli: *Ecce duo gladij hic*; quasi esset vterque ad exercitium paratus.

46 Similiter Potestatem aliquam haberi directe dupliciter potest intelligi. Primò. Eo, quod talis Potestas sit, quod principaliter intenditur, & ita à Philosophis dicitur finem esse principaliter, &

directè intentum; medium vero ad illius assecutionem necessarium indirecte, & minus principaliter attactum: in hoc sensu verum est Temporalem Potestatem indirecte reperiri in Papa, sicut & in Deo, & in Christo D. cum Temporalia non sint, quæ Deus directe, & principaliter intendit. Intentio nanque Ecclesiæ, sicut & Dei, & Christi est bonum æternum, & spirituale, ad quod cætera omnia tanquam minus principalia ordinantur, & in hoc sensu intelliguntur Verba nostri cap. *Vnam sanct.* ibi, *Oportet gladium esse sub gladio:* hoc est Temporalem Potestatem subijci spirituali, & motu semper recto spiritus moueri: sicut enim in statu iustitiæ originalis, aut integritatis naturæ pars inferior sensitiua in homine esset rationi subiecta, eius imperio moueretur, nutuique eius sine rebellione obediret, ita spiritualis Potestas in Papa debet temporalem mouere, & temporalis subijci spirituali, ita vt solum pro bono spirituali in severitatis actum prorrumpat. Secundo, dicitur dari vnam Potestatem directe, & aliam indirecte, quando vna Potestas communicari intenditur, non vero alia, quia tamen hæc necessaria est pro alterius exercitio, indirecte, & quasi præter intentionem communicatur; hoc modo dici nequit Potestatem circa temporalia indirecte residere in Papa: quia Christus D. eius Vicario vtramque intentam communicauit: absolute enim suum gregē commisit, suamque tradidit Potestatem sine aliqua restrictione illis verbis: *Pasce oves meas.*

47 Pariter Potestas in habitu, & in potentia dicitur, cum non licet illam executioni mādare,

eo quod potentia expedita, & actuata non sit, sed necessario requirit circunstantiarum cumulum, ratione cuius proxime Potens ad actum constituatur. Quod vim habet in nostro cap. illis verbis: *Mitte gladium tuum in vaginam.* ac si diceret Pontifex, Temporalē gladium debet habere repositum, & in vaginatum; vibratum vero, & euaginatum, aut cum vsu, non nisi vrgentissima occurrente necessitate. Hoc etiam videtur notare nostrum cap. dum statuit tali Potestate, & gladio non vti Pontificem, sed præcipere, vel permittere Principes Catholicos illo vti illis verbis: *Gladius materialis manu Regum, & militum, sed ad nutum, & patientiam Sacerdotis.* His nixi Iudicant plures Potestatem temporalem solum esse in Ecclesia, habitu, & potentia, falso tamen, & sine solido fundamento; tum quia Potestas materialis tàm expedite, & in actu fuit in Christo D. quàm spiritualis: ergo tam expedite, & in actu residet in Papa materialis Potestas, quam spiritualis. cum Christus eius Vicario expeditam communicasset Potestatem, qua fulgebat; tum quia licet per manus Regum, & militum in nostro cap. dicatur exercēdam Potestatem, non tamen ab illis, sed ab Ecclesia in executione ponendam, vt dicitur eodem cap. ibi *Vterque ergo est in Potestate Ecclesiæ, spiritualis scilicet gladius, & materialis. Sed is quidem pro Ecclesia, ille vero ab Ecclesia exercendus. Ille Sacerdotis, is manu Regum, & militum, sed ad nutum, & patientiam Sacerdotis.* Solum ergo dicitur, quod Ministri executores vtriusque Potestatis diuersi sunt, scilicet Potestatis Spiritualis Ministri sunt Sacerdotes; Temporalis

vero

vero Potestatis Ministri sunt Reges, & Milites; ab Ecclesia tamen exercetur Temporalis Potestas, vt docet D. Bern. lib. 2 *de Consid ad Eug.* ibi: *Gladiū materialem Pontifex habet nutu, Imperator iussu, miles vsu.* Licet enim statui Papæ sit magis consentaneum serenitate mentis, tranquilitate animi, simplicitate cordis, vinculo paternalis amoris; consortioque Charitatis rebelles in Ecclesiam voluntates cōcordare, atque ad Christi ouile attrahere; si tamen Pharaonice indurati armorum pondere Reges Ecclesiastico Iuri non cedant, licite potest, immo & tenetur Pontifex pacem orare manu, præfigereque pupibus arma. Itaque simultates de medio tollere, spiritus bella compescere, iras Potentum deprimere, superbos sicut Dœmones pedibus calcare, discordes sedare, inimicosque concordare Quamuis enim hæc omnia aliquod inferant malum, vt multo maius damnum, quandoque fideles plurimos pestilenter infestans euitetur, necesse est, cum incommodis his corrigit Pontifex vt Pater, cum dilectione fidelium, & odio vitiorum; ideoque in nostro cap. dicitur: *ad nutum, & pacientiam Sacerdotis.* Cum enim seueritatis, & belli gladium vibrat, patitur Pontifex, sicut Pater grauiter corrigendo filium de eius delicto, pęnaque ab ipso inflicta paternaliter ita ingemiscit, vt intensiori dolore Parens agrauetur ingenito, quam filius in se ipso.

48 Hic Potestate materiali, & Temporali expedita directe, & in actu vtuntur Pontifices compellentes Principes ad seruandam pacem cap. *Nouit de Iudicijs.* Et ad seruandum Iuramētum cap. 1.

cap;

cap. *Debitores de Iure Iur.* & etiam dum abſoluit Vaſallos à Iuramento Fidelitatis cap. *Abſolutos de Hæret: c. Nos SS. c. Iuratos* 15. *q.* 6. ibi: *Iuratos milites Hugoni Comiti ne ipſis quandiu excomunicatus eſt, ſeruiant, prohibeto. Qui ſi Sacramenta prætenderint, moneantur oportere Deo magis ſeruire, quam hominibus. Fidelitatem enim, quam Chriſtiano Principi iurarunt, Deo, eiuſque Sanctis aduerſanti, & eorum præcepta calcanti, nulla cohibentur authoritate perſoluere.* Ad ſtandum voto promiſsis in cap. *Licet de voto.* Ad cohercendũ Aſſaſinos in cap. 1. *de Homic.* lib. 6. Ad puniendos exiſtentes in duellis. Concil. Trid. ſeſſ. 25. c. 19. de Reform. A Rege in temporalibus non agnoſcente ſuperiorem per viam quærelæ appellatur ad Papã, Regemque compellit ad ſeruandum Iuſtitiam in cap. *Nouit de Iudicijs*, & ſic cognouit de defectu natalium. In cap. *Noſtram de ordine cognition.* Similiter cum duo Reges Supremi non conueniunt in arbitrum Iudicem, ſi exlite bellum, ex bello ſeditionem, ex ſeditione perturbationem Reipublicæ, ex perturbatione boni ſpiritualis, vel Catholicæ Fidei detrimentum probabiliter timetur, tunc poteſt, immo & tenetur Pontifex ad vitanda huiuſmodi incommoda ſententiam ferre: cui tales Chriſtiani Principes ſtare tenentur, vt docet Victoria, Molina, Soto, & alij quos refert, & ſequitur Anguiano controu. 17. n. 79. & hoc modo dicuntur omnes lites tàm ſpirituales, quàm temporales ad Pontificis Iudicium pertinere, vt habetur in cap. *Quicumque litem*, & cap. *Quæcumque contentiones* 11. q. 1. Poteſt etiam Pontifex condere legem ciuilem, ſi neceſſaria ad anima-

rum

rum salutem Iudicatur; stabilitas etiam ab Imperatore,& Regibus leges, si spirituali saluti nociuæ sint,abrogare,vt constat ex Regula à Glossa notata in cap.*Poßess. de Reg Iur*. in 6. quæ ita pręscribit; *Quando de eadem re contrariæ inueniuntur leges Pontificiæ,& Imperatoriæ,si materia legis ad animarum salutem concernit,lex Imperatoria per Pontificiam abrogatur:* hoc modo lex Pontificia in cap. *fina. de Præscript*. abrogauit imperatoriã loquentẽ de præscriptione 30. vel 40. annorum etiam cum mala fide: quia sine mortali peccato seruari non poterat.

49 Christus enim D. typus, & origo talis Potestatis illam executioni mandauit eijciens ementes,& vendentes de templo Ioan. 2. Absoluens adulteram,& confusione condemnans accussantes Ioan. 8. D Petrus Annaniam,& Saphiram propter furti, & mendatij delictum vita priuauit, vt habetur in Actib. Apost. cap. 5. Auriculam etiam Malcho abscidit Matth. 26. D. Paulus fornicarium sententia damnauit ad Corinth. 5.

50 Hac Potestate omnibus retro sæculis, prout exposcebat necesitas,vssa fuit semper Ecclesia Sancta Dei,dum Summi Pontifices contra Reges,& Imperatores,aliosque Magnates, non solum spiritualẽ excõmunicationis gladium vibrarunt,sed etiã oportune gladium materialẽ euaginarunt,illosque à suis Regnis,& Imperijs deposuerunt: nã qui se seipsum substrahit ab Ecclesiæ Dominio, sane iniuste à dominante Deo se auertit, & ita reus est Læssæ Diuinæ Maiestatis: tenetur enim Papa, vt Vice-Deus ad seruandã Iustitiã tã particularẽ,singu-

gu-

gulorum reddendo vnicuique quod suum est, rele-uandoque à grauamine iniuste imposito; quam vniuersalem, vt Respublica promoueatur, & bonũ cõmune non perturbetur; & ita Imperatorem, Regesque obligare iam salutaribus monitionibus, iam Sãctæ obedientiæ imperio. Si tamen fructũ huius sacri seminis fructuose non colligat, ex auro, margaritisque sacri consilij vitium iniquitatis, & improbas festucas legat, procedere vsque ad depositionem; sic fecit propter deffectum particularis Iustitiæ Zacharias Pontifex Childericum non tàm pro sua iniquitate, quàm pro sua inutilitate Regno Franciæ priuans, & Pipinum (Caroli M. Imperatoris Patrem) eius loco substituens, vt habetur cap. *Alius* 15. q. 6. Referuntque illius temporis Annales. Eadem causa Innocentius 4. negligentem Sanctium Lusitaniæ Regem ab admiuistratione Regni deposuit, eiusque loco subrogauit eius Fratrem Ildefonsum 3. vt habetur cap. *Grandi de suplen. negligent. Prælatorum.* Propter vniuersalis Iustitiæ deffectum idem Zacharias Papa Desiderium vltimum Longovardorum Regem Ecclesiam persequentem, promissaque nõ adimplentem Imperatoris Caroli M. auxilio, Regno priuatum ab illo deiecit, vt habetur cap. *Adrianus* 63. dist. & cap. *Hortatu* 23. q. 8. & refertur à Platina in vita Zachariæ. Stephanus II. Summus Pontifex petijt auxilium à Constantino, & Leone eius Filio Imperatoribus Constantinopolitanis cõtra Regem Longovardorum Ecclesiam Dei iniusto bello opprimentem, quia tamen illud Romanæ Ecclesiæ iniuste denegarunt, Imperio priuauit,

&

& in Germanos Imperium transtulit, scilicet in Carolum M. Pipini Francorum Regis Filium. Huiusque translationis, simulque priuationis memoriam facit text. in cap. *in die de consecrat.* dist. 5. & in cap. *Venerabilem de electione, & declarat.* ibi Glossa verbo *Transtulit*, & Clement. vnica *de Iure Iur.* Alexander II. Henrico Imperatori viriliter restitit. Alexander III. similiter contra Federicum Barbarossam Romanam Ecclesiam infestantem, qui tandē Dei illustrationibus conuersus veniam à Romana Sede obtinuit. Innocentius III. Imperatorem Othonem ab Imperialibus Titulis, & Honoribus deposuit, eo quod iniuste persequebatur Fredericum Siciliæ Regem, & ab eo ablatum Apuliæ Regnum Sedis Apostolicæ monitionibus, non restitueret, vt reffert Suplementum Chronicorum lib. 3. in principio. Honorius III. in Sede Apostolica Innocencio immediatè Successor Federicum II. in S. Petri Basilica Imperatorem creauit, & inuestiuit; postea vero Sedi Apostolicæ ingratè pariter, ac iniuste rebellem, idem Honorius anathematizavit; subditosque à Iuramento Fidelitatis absolvit: quam iustissimam sententiam Gregorius IX. in Pontificatu Successor roborauit, & confirmauit. Pariterque Innocentius IV. eidem Gregorio in Lugdunensi Cōcilio subrogatus Fredericum Imperio, Siciliæ, Apuliæque Regno Iure Materno possessis privavit, vt habetur cap. *Ad Apostolicæ de re Iudicata*, lib. 6. & memoratur in Chronicis illius; Gregorius 7 Henricū 3. Imperatorem post varias, pias, paternalesque monitiones, ne simoniace ad Beneficia, & Episcopa-

tus

tus promoveret indignos soluta nominatione condignificatos, propter aliaque plura Diuinæ Maiestati iniuriosa ab Imperij, Regnique Administratione deposuit, vt docet Nauclerus volum. 2. c. 36.

51 Formam huius Depositionis, his verbis reffert Platina in vita Gregor. VII. *B. Petre Apostolorum Princeps inclina quæso aures tuas, & me seruũ tuum exaudi, quem ab infantia educasti, & vsque ad hunc diem ab iniquorum manibus vindicasti; qui me pro mea in Te fide oderunt, & persecuti sunt. Tu mihi testis es optimus, & pia Iesu Christi Mater, & Frater tuus Paulus tecum martyrij particeps, me non sponte, sed inuitum Pontificatus Gubernacula suscepisse; non quod rapinam arbitratus sim Sedem tuam legitime cõscendere, sed malebam vitam meam in peregrinatione degere, quam Locum tuum pro Fama, & Gloria Tantum, occupare. Fateor ergo, ac merito quidem mihi tua gratia, non meritis meis Populi Christiani Curam demã datam esse, concessamque ligandi, & soluendi Potestatem. Hac itaque fiducia fretus pro Dignitate, & Tutela Ecclesiæ Sanctæ Tuæ, Omnipotentis Dei Nomine Patris, Filij & Spiritus Sancti Henricum Regem Henrici quondam Imperatoris Filium, qui audacter nimium, & temerarie in Ecclesiam Tuam manus iniecit, Imperatoria Administratione, Regiaq; deijcio; & Christianos omnes Imperio subiectos Iuramento illo absoluo, quo fidem Veris Regibus præstare consueuerunt. Dignum est enim, vt is Dignitate careat, qui Maiestatem Ecclesiæ imminuere conatur. Præterea vero, quia Monita Mea, immo Tua, ad sui ipsius, Populorumque salutem contẽpsit, & se ab Ecclesia Dei, quam seditionibus pesundare*

cu-

cupit, separauit, cum Anathematis vinculo ligo, certò sciens Te esse Petrum, in cuius petra, vt in vero Fundamento Rex Noster Christus ędificauit Ecclesiam suam. Hucusque Platina.

52 Vrbanus 4. Siccis occulis aspicere non valens Italiæ campos humano madentes sanguine, magis, quàm de cœlo imbribus innundantes terribili nequitia Manfredi Siciliæ Regis Carolum Andegauensem euocavit, & postea Clemente 4 opitulante Manfredum Regno, vitaque iuste expoliauit. Martinus 4. Petrum Aragoniæ Regem Siciliam de vastantem anathematizauit, Aragoniæ Regnũ ab eo abstulit, & transtulit in Carolum Filium Secundum Regis Francorum, vt tradit Zuriti lib. 4. Annalium cap. 26. Vrbanus 6. Carolum Vngariæ, & Siciliæ Regem à Regnis depositum declarauit. Innocentius 7. Ladislaum Neapolitanum Regem prælio vicit, & in sua perfidia contumaciter perdurantem Regno priuauit. Alexander V. Martinus V. videns, gemensque ævi sui erumnas continuas, & graues Brachium Montonium alterum Martem appellatum vsque ad recuperanda Romani opida devastata ingenti bello persecutus est, in quo Brachius vna cum rebus iniuste occupatis, & violentissime detentis, miserrime vita orbatur. Ioannes 22. Imperat. Ludouicum Bauariæ Ducem Schismaticum declarauit. Bonifacius 8. Philippum à Gallorũ Regno deposuit, & Petrum, & Iacobum à Cardinalitia Dignitate, vt habetur cap. vnico *de Schismat. & Heret.* lib. 6. Pius 2. Segismundum Austriacũ Archiducem, eo quod Cardinalem S. R. E. vinculis con-

concathenasset, anathematizavit; idem etiam Ludouicum Francorum Regem grauiter impulit, vsque ad abolendam è Regno Franciæ Pragmaticã insolentem; idem etiam Pius 2. omnifere Dominio priuauit Segismundum Malatestam Sedi Apostolicæ rebellem. Idem Borsum Ferrariæ Ducem, eo quod armis Malatestæ faueret, vsque ad Veniam obtinendam grauiter increpauit; Idem etiam Andagauenses armorum Vi constrinxit, vsque ad recuperandam Ecclesiæ iurisdictioné magnopere ampliatam. Innocentius 8. Ferdinandũ Apuliæ Regẽ depossuit. Sixtus 4. Venetos Ferrariam maiori licentia grassantes, quam bello præmentes à Sacris interdixit, eorumque bona cuilibet deripienda permisit. Iulius II. Ioannem de Labrid Nauarræ Regem, eiusque coniugem schismaticos declarauit, & Regno priuauit, illudque donauit Catholico Regi nostro Ferdinando V. vt docte reffert Palacios Rubios tractat. *de Iusta obtentione & retentione Regni Nauarræ*, & innata eruditione exornat Mag. Marquez in suo Christiano Gubernatore lib. 2. cap. 28. §. 2. Fęlicis recordationis S. Pius V. per suam constitutionem incipientem *Regnans in Excelsis*, Angliæ Regnum concessit cuicumque Catholico Principi illud aufferenti ab impia Tyranide Elisabethis Estuardæ, vt refert Sanderus de *Origine Schisma. Angliæ*, lib. 1. Postea Sixtus V. anno 1588. de Regno Britaniæ, & Angliæ Philippum II. Catholicum Regem nostrum inuestiuit, vt tradidit idem Sanderus ibidem, & Bobadilla lib. 2. Polit. c. 17. n. 5.

53 Temporum inueterata nequitia ad

ſuperborum Principum conſtringẽdas habenas ſingulari Dei prouidentia omnibus vtiliter neceſſarium iudicamus Poteſtatem, & Iuriſdictionem corrigendi, deponendique Reges in Summo Præſule: Eſt enim Pontifex Pater, Paſtor, & vineæ Dei ſanguine Chriſti plantatæ, & SS. Apoſtolorum irrigatæ verus Agricola, in hoc diſcrepant à cœleſtibus terrena, quod illa inſtauratione non indigent, quippe natura immutabilia. Res humanæ propter innatam inconſtantiam, & varietatem, remedijs opportunis, ne penitus intereant, ſoluanturq; reparari itidẽ opus habent. Quod victus animãtibus, quod cultura, irrigatioque plantis eſt, id in vita, & moribus accurata Diſciplina, ne noxijs vitiorum ſentibus ſilueſcant, atque vaſtentur inſtar neglecti agri. Bonus Agricola arbores, vel adminiculis erigit, vel circuncidendo caſtigat, vel euellendo diſſoluit: ſub aliena latentibus vmbra cœlum aperit, ramorum denſitate impeditas interlucat, telluris vitio laborantibus mutat locum, nec rectas tantum, & fertiles colit, ſed etiam deprauatas corrigit, & minus fructuoſas, nec ſudori parcit, modo prædia, hortique niteſcant; ſi tamen vlla fructus ſpes non remaneat, Chriſti Iudicio euellatur, & in ignem mittatur vt ardeat. Tantundem de Paſtoribus dici poteſt. Ergo Doctrina, & exemplis excolantur Principum Animi, & quæ in Regum moribus contumaciter in Eccleſiæ perniciem delapſa fluxere, ſeueriori Depoſitionis in Pontifice Poteſtati adſtringantur, vt præclare aduertit Bellarm. lib. 5. de *Romano Pontifice* cap. 9. qui dubitationi Otthonis Friſingenſ. in Prologo lib.

4.

4. Chronicon. sic respondet: *Vtrùm Deo magis placeat Ecclesia sua, quæ nunc cernitur exaltatio, quã prior humiliatio? Prorsus me ignorare profiteor. Videtur quidem status ille fuisse melior, iste fælicior: assentior Romanæ Sedi, quam super firmam Petram ædificatam, non dubito, credenda, quæ credit, licitè possidenda, quæ possidet.* Et addo, & Sanctè executa, quæ exequitur.

54 Hoc idem quam pluribus exemplis ostendit Ioannes Baptista Fulgosus lib. 1. *Memorabilium* cap. 1. de cultu Relig. in princip. ibi *Huc accedit, quod multi Reges, Imperatoresque ipsi Regno, aut Imperatorio honore digni non crederentur; quos Religiose Sacerdotes non vnxerint, quin postea quam assumpto diademate in Regno, aut Imperio confirmati fuere, si Ecclesiam heresi, aut alio modo læserint, à Pontificibus regnandi, imperandique iure priuarentur, plurisque apud Christianos Populos Religio, Pontificiaque voluntas, quam arma ipsa, atque Regum maiestas habita est* Alia plura adducit lib. 6. cap. 3. de seuerit. fol. 200 Licet ipse sui immemor aliquando dormitauerit in taxanda Romanorum Pontificum Maiestate. Omissis Depositionibus in veteri testamento adumbratis, relatis à Palacios Rubios, & Mag. Marquez vbi supra. Ex his non solum perfectam Iurisdictionem, sed etiam exercitium Temporale deponendi Imperatores, & Reges à Christo D. stabilitum residere in Ecclesia ab ipsius infantia ex memoratis liquido constat.

55 Auribus mærore confectis auscultare contrarias instantias, vt corde, & ore obmutescãt veritatis pondere presi aduersarij: dicunt enim: si

ex facto Pontificum in Imperatores,& Reges tem poralis exercita potestas conuinceretur, eodem iure demonstraretur Imperatores Iure deponendi Pontifices potiri: nam Constantinus in Exilium Liberium Papam misit, Iustinianus Siluerium, Theodoricus Rex Ioannem 1. in carcerem coniecit, Ottho primus Ioannem 12. deposuit,& Leonem 8. substituit. Henricus 3. Gregorium 6. deposuit,& Clementem 2. ordinauit, vt refferunt illius temporis Historiæ.

56 Non inquam audiendi sunt, tum quia sicut per Ethnicos Imperatores fuerunt Pontifices plurimi vita,& dignitate priuati, ita per hæreticos,& schismaticos Imperatores fuerunt in exilium tyranicè damnati: quo namque Iure memorati Imperatores hæc patrauere, ipsi viderint: certo quippe constat Constantinum,& Theodoricum fuisse Arrianos, & Iustinianum Euthychianistam; & ita Constantinus iniuste Liberium in exilium depulit, vt aperte docet Athan. in Epist. ad Solitariam vitam agentes. De Siluerio idem expresse tenet Liberatus in Brebiario cap. 22. Ioannem 1. indebite,& iniuste fuisse vinculis alligatum à Theodorico Rege Arriano traddit D. Gregorius lib. 4. Dialog. cap. 30. Ab Otthone autem 1. fuit depositus Ioannes 12. quoniam Imperator quantumcumque pius, minus tamen rerum Ecclesiasticarum peritus zelo Dei inebriatus,& pestis à Ioanne 12. introducendæ, subleuandæ Ecclesiæ desiderio illum potuisse deponere existimauit: quia illius temporis Politici Iurisperiti,& aulici Theologi adulatione Imperato-

ris,

ris magis, quam ignorantia cæcutientes, temere illud potuisse asseuerarunt. Vnde Otho Frisingens. lib. 6. cap. 32. Vbi hæc enarrans modeste de Imperatore sic alloquitur. *Vtrùm licitè fuerit, an non, non est huius temporis dicere.* Imperator Henricus 3. non deposuit Gregorium 6. sed quia certe agnouit fuisse Symoniace electum, illi opportune potius, quam importune persuasit, vt Pontificatum renunciaret; sponteque cedente Gregorio, fuit Clemens electus, vt reffert Otho Frisingens. vbi supra. Additque Leo Hostiensis, qui eo tempore floruit lib. 2. Chronici Casinensis cap 90. quod congregato Episcoporum Concilio ab Imperatore fuit ab ipso Gregorius inuitatus, vt præesset, & esset Iudex supremus adhuc in sui ipsius causa, de qua agebatur; Gregorius vero grauiter compunctus veniam humiliter postulans, liberè cedens se Pontificatu abdicavit.

57 Tum, quia omnia hæc ab Imperatoribus Tyranice in Pontifices fuerunt executa, sine Ecclesiæ consensu, nec populi acceptatione, nec succedentium Imperatorum approbatione, quæ clare maliciam, & iniustitiam manifestant; quæ vero à Pontificibus deponentibus Reges sunt acta, ab Ecclesia, & succedentibus Pontificibus continuantur, populi etiam acceptatione, sine controuersiaque ab Ecclesia electi, & eius Successores Regnant. Quandoque huius Iuris vigore Gallorum Rex alias intendit præoccupare Prouincias, aliquo etiam apparenti titulo donationis Ecclesiæ toties ab ipsa Sede, & SS. Pontificibus reuocatæ in Siciliam tenaciter aliquando Ius somniabat.

58 Ex his manifeste constat Potestatem Tẽporalem non solum in habitu, & potentia, sed directè, formaliter, & in actu residere in Papa; licet vt prudens non debeat remedijs durioribus, & seuerioribus, qualia sunt Regni depositio, &c. Vti, prius quam mitiora, & facilitora monitionis, aduertentiæ, & correctionis experimento agnoscat, iuxta illud Ouid. lib. 1. Metam.

Cuncta prius tentanda sunt, sed immedicabile vulnus
Ense rescidendum est, ne pars sincera trahatur.

Et hæc de opulento antiquitatum, & secundo Americę thesauro.

59 Tertio prælibandum est. Absolute negantes in supremo Ecclesiæ capite gladij temporalis Potestatem, vtriusque clauis exercitium, & quod Imperia, & Regna ab Ecclesia dependent, hæreticos esse, vel saltim hæresi affines; tum quia hæc veritas expresse diffinita ostenditur in nostra Extrauag. *Vnam Sanctam*, illis verbis: *Quicumque igitur huic Potestati à Deo sic ordinatæ resistit, Dei ordinationi resistit, nisi duo (sicut Manichæus) fingat esse principia, quod falsum, & hæreticum Iudicamus*. Quamobrem iudicantes temporalem Potestatem aliqualiter à Supremo Antistite non dimanare in Manichæismum visibiliter incidit: sicut namque Manichæi duos somniabant Deos, alium boni, alium mali causam, vnũque ab alio independentem; ita chymerizantes duas Supremas Potestates, aliam Spiritualem, aliam Tẽporalem, vnamque ab alia non dimanantem, duo visibilia prima principia constituunt, quod falsum, & hæreticum Pontifex declarat; tum quia vt ali-

qua

quia propositio sit hæretica, aut hæresi proxima, nõ est necesse, quod expresse nota hæreticali afficiatur, sed sufficit, vt ex hæretico asserto prudentum iudicio deducatur, vel in illo virtualiter includatur, vt communiter docent Theologi in materia de Fide: sed negare Temporalem Potestatem in Ecclesia, affirmare Supremum Ecclesiæ Pastorem non posse Imperatorem, & Reges dignitatibus priuare, virtualiter includitur in propositionibus ab Ecclesia, vt hæreticis damnatis, & prudentum omnium calculo ex hæreticis dogmatibus deducitur: ergo negare vtriusque clauis potestatem, & quod imperiũ à Papa non dependet est hæreticum, aut hæresi proximum. Minor probatur ex nostra Extrauag. *Vnã Sanctam*, illis verbis: *Porrò sub esse Romano Pontifici omni humanæ creaturæ declaramus, diffinimus, & pronuntiamus omnino esse de necessitate salutis.* Quo modo enim Ecclesiæ subest, qui pertinaciter eius potestati, & Imperio resistit? Quo Iure Gregis Dei cẽsetur mansueta Ovis, qui à Pastoris cura Temporalibus allectus aberrat? Qua ratione Christi fidelis iudicatur, qui eius Vicario rebellis, & infidelis demonstratur? Sane isti Principes veniunt in vestimentis ouium, aut nomine Christianorum, intrinsecus autẽ sunt Lupi rapaces, & Gregis Dei crudelissimi inimici.

60 Nec audiendi sunt dicentes decisionem nostram fuisse reformatam à Clemente V. qui Bonifacio 8. immediatè in Apostolica Sede succesit, dum declarauit, quod Rex Franciæ, & regnicolæ per Extrau. *Vnam Sanctam*, non amplius Romanæ

Ecclesiæ subijciuntur, quam prius erant, vt habetur in Extr. *de Priuileg c. Meruit*. Tũ quia quod semel de fide est, & ita declaratum, semper de fide erit, cum infallibili veritate, & omnimoda certitudine constet; Tum quia Clemens V. rectè demonstrat Extrauag. *Vnam Sanctam*, non maiori vinculo subiectionis alligare Regem Francorum, & Regnicolas, quoniam ante illam tenebantur credere vnam Sanctam Ecclesiam, & in temporalibus, & spiritualibus sub esse Summo Præsuli, quod semper fuit de necessitate salutis. Deinde, quia Concil. Lateran. sub Leone X. sess. 11. sine præiudicio cap. *Meruit* approbat, cap. *Vnam Sanctam*, per hæc verba; *Et cum de necessitate salutis existat omnes Christi fideles Romano Pontifici sub esse, prout diuinæ Scripturæ, & SS. PP. testimonio edocemur, ac constitutione fælicis memo. Bonifatij Pap. 8. similiter prædecessoris nostri, quæ incipit Vnam Sanctam, declaratur pro earundem fideliũ animarum, ac Romani Pontificis, & huius Sanctæ Sedis Suprema authoritate, & Ecclesiæ sponsæ suæ vnitate, & Potestate constitutionem ipsam Sacro præsenti Concilio approbante innouamus, & approbamus.*

61 Hic error negandi in Christi Vicario ex iure diuino temporalem potestatem, & iurisdictionem deponendi Reges ex delicto peccaminoso huius, vel alterius pœnæ condigno, & quod in duabus clavibus Petro concessis non significatur alia spiritualium, alia temporalium, sed quod per vnam clavem significatur potestas spiritualis, & per aliã scientia, seu discretio, vel quod in vna clave designatur facultas aperiendi, & solvendi, & in alia claudendi,

dendi, & ligandi fuit Caluini, Brenzij, & aliorum Sectariorũ merito, vt hæreticus damnatus in c. *Omnes* 22. dist. cap. *Violatores* 25. q. 1. & validissimis rationibus conuincitur à Purpurato, Bellarmi. to. 1. contr. lib. 5. de *Rom Pontif.* c. 1. & 9.

62 Hoc pestifero ignorantiæ halitu contaminatus Ioannes de Hus tenaciter dogmatizauit in temporalibus Successorem *Petri* nulla iurisdictione potiri, de quo fuit damnatus in Concilio Constantiensi, vt tradit Christophorus Besoldus in *dissert. Iuridic. Politica* de præcedentia, & sessionis prærogatiua c. 2. pag. 130.

63 Huius audatiæ fuliginosos partus Cocodrilice siuilauit Dantes Poeta Florent. in lib. cui Monarchiæ titulũ inscripsit integram disputationẽ efformans, an Imperium dependeat ab Ecclesia? Negatiue raucavit, propter quod post mortem fuit tanquam de hæresi damnatus. Author libri cui inscriptio *Mare liberum* plura inverecunde conglomeravit absolute negans, cap. 3. & 4. Vllam Temporalem *Pontifici* Potestatem, quæ omnia cum alijs pluribus de hac concertatione omnino deleri à Supremo Hispanico Fidei Senatu iussi sunt, & Cathalogo librorum prohibitorum adnotauit Emin. Card. Sandoual anno 1612. in 1. indice pag. 77. & in 2. pag. 55.

64 Ludovicus Babarus Natione, suisque gestis Barbarus *I*mperator, non renitentibus Imperij Electoribus lege sansivit *I*mperatoriam Potestatem esse immediatè à Deo, & maiestatis reatum incurrere dicentes electum ad Imperium ante corona-

tionem,

tionem, vel confirmationem à Papa non esse Imperatorem. Hic tamen Imperator, & eius gesta fuerũt ab Ecclesia iure optimo damnata, quia Romanæ Ecclesiæ gloriabatur esse persecutorẽ, vt docet Baldus conf. 204. n. 3. lib. 3. & alij. Constat huius erroneæ audaciæ temeritas. Tum, quia licet Gregorius 5. donauerit Principibus Germaniæ Ius eligendi Imperatorem, confirmationem tamen Romanæ reseruauit Ecclesiæ, vt absque illa nequeat Imperatoris titulo diademari, vt tradit Petrus Gregorius lib. 6. *Syntagm.* 1. p. cap. 7. n. 6. Tum quia in Coronatione Imperatores ensem accipiunt à Romano Pontifice, vt habetur in Pontificali illis verbis: Accipe gladiũ desuper B. Petri corpore sumptum cap. *Venerabilẽ de Electione*, cap. *Romani de Iure Iur.* cap. *Legimus* 96 dist. & illis Pontifex tribuit Diadema, Sceptrum, & aureum pomum. Tum, quia Imperatores Catholici sedi Apostolicæ fuerũt sẽper Sũmo honore subiecti, vt habetur cap. *Valentinianus* 63. dist. ibi: *Talem igitur in Pontificali constituite Sede, cui, & nos, qui gubernamus Imperium sincere nostra capita submittamus.* Tũ quia potest Pontifex ex Oriente Imperium in Occidentem transmutare, ex vna que Natione in aliam, vt habetur cap. 2. *de sentent. & re Iudicata*, in 6. c. Alius 15. q. 6. cap. *Venerabilem* 34. *de Electione*, quod semper intelligendum venit propter bonum spirituale animarum, & regimen Ecclesiæ, vt dicitur c. *Solitæ* in fine *de maiorit. & obedient.* ibi. *Cum non nisi ad vtilitatem Ecclesiæ.* Tum quia multoties Pontifex Imperatores creauit cum Iuramento fidelitatis Ecclesiæ, & illis in Feudum tradidit Imperium, vt

docet

docet Petrus Gregorius, vbi supra.

65 Hanc veritatem testatur Lotharius Cæsar, atque Imperator pietatis, & venerationis in Romanam Ecclesiam exhibitæ publicò testimonio, quo in Latheranensi Basilica depingi iussit quasi vasallus ad Innocentij 2. pedes postratus Imperij coronam ab ipso recipiens cũ hac inscriptione hoc Disticho exarata.

Rex venit ante fores, iurans prius Orbis honores,
Post homo fit Papæ, sumit quo dante Coronam.

66 Huius erroris aëre tumidi quandoque Galliæ Reges huic hæresi succubuisse, dum in ipsa auguratione iuramento promittant se defensuros Iura, & statuta antiqua Ecclesiæ Gallicanæ, priscisque in hunc diem litteris Sacramentum Philippi Vallesij legatur sub eius statua pro foribus fani Senonensis hoc carmine.

Regnantis veri cupiens ego cultor haberi,
Iuro rem Cleri, libertatemque tueri.

Vt tradit Anton Monartius in obseruatione ad leg. 2. C. *de Summa Trinitate*, & leg. 4. Eodem titulo, vbi addit in C. Libertatis Ecclesiæ Gallicæ legẽ quãdam his verbis conscriptam haberi: *Regnum Franciæ dare in prædam Papa non potest, nec eo Regem priuare, aut alio quovis modo disponere.* Hæc tamen merito, vt hæreticalia damnantur à Primatibus Theologiæ, & Iurisprudentiæ Principibus, quos innata eruditione inuenies ad amussim relatos apud Solorzanum *de Iure Indiarum*, lib. 2. cap. 22. à n. 19.

67 Vnde rectè affirmauit Bartholus in leg.

leg. 1. §. 1. *de Requirendis reis* negãtes, in Papa Temporalis gladij Potestatem, & exercitium, aut quod Imperium ab Ecclesia non dependeat hæreticos esse, quidquid dicat Couuarrub. Nauarrus, & Morla in Empor. *Iur.* 1. p. tit. 2. q. 4. num. 10. Quare minus fœliciter pro nostra sententia Morla adducitur à Solorzano vbi supra num.] 25 cum satis expresse suam mentem Morla apperiat loco proxime allegato, his verbis: *Constituo primo nullam harum opinionum hæreticam esse, quia super ea nihil est definitam ab Ecclesia.* In hoc apertè fallitur Morla, non enim attente nostram perpendit decisionem, nam licet antiquitus fuerit vtrimque lites, post nostram decisionem tanquam veritas Fide stabilita à Regibus Franciæ in obsequium Fidei summa collitur veneratione, vt ex Henrico 4. Rege Galliæ liquido constat, qui in hæresim miserabiliter lapsus, & ob hoc a Romano Pontifice anathematis, & priuationis Regni sententia misericorditer damnatus, cum tabulæ forenses coaxarent, & varijs libellis publicarent nullam in Temporalibus authoritatem Ecclesiæ, aut Summi Pontificis in Regno Franciæ, nec posse Regno priuare hæreticum iure agnationis ad Sceptrũ euectum, nec Subditos Iuramento fidelitatis ipsi Henrico præstito absoluere, ipse tamen Dei illustrationibus in meliorem, salutaremque frugem reuersus, publice confiteri cæpit ampliorem, & supra ipsum esse Summi Pastoris authoritatem, & ita fuit tanquam Ouis errans reducta ad Domini Ouile, Ecclesiæ reconciliatus, & à Clemente 8. absolutus, benedictioneque Apostolica in Regnum donatus 17.
die

die Septembris anno 1595. Vt tradit Rutilius Benzon de anno Iubilæi lib. 1. cap. 10. pag. 57. de eiusque conuersione multum exultauit Ecclesia, vt manifestant illius temporis decantata carmina.

Quem tota armatum mirata est Gallia Regem,
Mirata est etiam Roma Beata Pium.
Magnum opus est armis strauisse tot agmina, maius
Pontificis pedibus procubuisse sacris.

68 Antiquo honore ab Imperatoribus externis pietatis exercitijs colitur Sancta, & Apostolica Sedes. Constantinus M. Iure Optimo ter Maximus, nempè Fidei indissolubili constantia, liberali erga Ecclesiam animo, humili erga Vicarium Christi adoratione, dum publice pedetentim, quasi alter Aman adsportauit equm, in quo Christiferus Mardocheus B. Syluester Ecclesiam Dei tunc temporis fæliciter regens visibiliter ab invisibilibus, & visibilibus hostibus triumphans per plateas omnium læta acclamatione ferebatur, ac si esset eius Archippocomus, aut Asturionarius. Sed quid mirũ, cũ nox Gentilicia diem nostræ fidelis claritatis micantibus huius venerationis radijs mehercle illuminet. Iosephus lib. 11. antiquitatum cap. 8. reffert, quod cum Alexand. M. devastare intendisset Ierusalem, obuiavit illi Summus Sacerdos Pontificalibus indutus, quo inspeto genuflexus Imperator, & ante eius pedes postratus cæpit ipsum tanquam diuinum adorare, A Parmenione repræhensus cur homini Iudæo inimico diuinam irrogaret venerationem, Catholice gentilis respondit: *Non hominem, sed Deum, cuius est Sacerdos, in ipso reuerenter colo.* Si enim

enim hoc ethnici ad exemplū docuere, cur Principes Catholici, & Christianissimi in summo Præsule non hominem, sed Deum, cuius est Vicarius in terris, humiliter non venerantur? Cur Potestati non ab hominibus, sed a Deo acceptæ fideliter non subijciuntur? Christiana humilitate, & Catholica reuerentia Vice-Deo, vt Patri filialiter sua iura proponant, fideliter spectantes Paternaliter prouissuiū, & quod magis fuerit rationi consonum, Dei illustrationibus executurum. O languidi Christiani, & infirmi Catholici magis de temporalibus perituris regnis curantes, quam de perpetuo animæ regno, de saluteque spirituali soliciti! In his namque fidem solum quasi politicam, & prout sibi magis in ruituris accommodatam matura contemplatione cōtemplamur; si enim in aliquo corriguntur à Patre, statim superuiunt, & incorrigibiles fiunt; si quandoque animo Paternali misericordiæ signis aduertuntur, in suis primæuis cogitationibus indurantur. Tange Montes Principum, & fumigabunt aspectu dolose horribilia, auditu duritie dissonantia, olfatu pestilitenter fætida, tactu ingrate dura, & gustu insipide amara, vt hæc clare experimento comprobetis, legite nefandas Epistolas Philippi pulchri, quas refert Palacios Rubios *de Obtentione Regni Nauarræ.* p. 2. §. 6. Vbi ingenti petulantia, irreuerentique inverecundia (ne dicam) blasfemo spiritu, sibi attribuit temporale dominium independenter à Papa, immo collationes beneficiorum, illarumque vacatione Ecclesiasticos redditus: fateor illas adhuc referre non audere, ne piæ Christianorum aures illarum

rum duritie offendantur, licet à pluribus Gallis, vt tradit Michael Mauel. in tract. *de Monarch*. 4. p. lib. 7. cap. 18. dicantur ab hæreticis confictæ, quod licet veritate careat, adhuc hæreticis adaptari iniuriosum reputant Vvilluinus, & Dromundus in 10. impostura Germanis.

69 Qui exemplaria fære innumera obedientiæ Summo Præsuli non solum in Spiritualibus, sed etiam in Temporalibus ab Imperatoribus, & Regibus exhibitæ conspicere voluerit, consultet Ioannem Stapletoniũ in tract. de admiranda magnitudine Ecclesiæ Rom. lib. 2. cap. 4. Petrũ Greg. Lælium, Zechium, Eximiumque D. P. Suarez *in Defensione Fidei* lib. 3. cap. 21. n. 7. pag. 322. Ex quibus manifeste concluditur omnino negantem Potestatem in Ecclesia circa Temporalia, aut Sæcularē gladium, aut vissibilem clauem hæreticali sane affici nota, vel saltem proxime ad hæresim accedere, cũ recte non credat in vnam Sanctam, & Apostolicã Ecclesiam, qui *Potestati* illius à Christo D. collatæ pertinaciter resistit. Et hæc de tertio Americæ Potosiaco Thesauro.

70 His iam apertis thesauris profluit liquæfacta Argentea rationis decidendi vena. Prima: Pontifex vt Christi Vicarius cum ipso idem tribunal constituit cap. *Licet*. cap. *Quanto*. cap. *Inter corporalia de translatione Episcopi* c. *Primo*, vers. *Porrò* vt Eccl. *Benef.* Ergo eadem *Potestate*, eademque Iurisdictione potitur: sed Christus D. vt dixi, habet Potestatem non solum circa Spiritualia, sed etiam circa Temporalia, exercitiumque Temporalis Iuris-

risdictionis accepit cum voluit, & expedire iudicauit. Matth. 8. Dęmonibus poscētibus: *si eijcis nos hinc, mitte nos in gregem Porcorum, & dixit, ite*. Vbi duo millia porcorum in mari præcipitauit mittens dęmones in eos, non curans de temporali dominorum suorum. Et Matth. 12. Missit Discipulos suos per aliena sata vellere spicas, & manducare, & Ioan. 2. & Marci 11. Maledixit ficulneæ, & aruit; eiecit ementes, & vendētes de templo; absoluit adulteram, &c. vt habetur in cap. *Ex multis*, cap. *Vendentes*, 1. q. 3. cap. *Accusatio*, 12. q. 7. *Gloss.* in cap *Quoniam*, verbo *Sic*. dist. 10. In quibus omnibus Christus nullam cōmissit ininstitiam, sed *P*otestate, iureque suo in Tēporalia vsus est, vt tradit Baronius anno Christi 75. n. 28. cum torrente DD. ergo Christi Vicarius habet ētiam Potestatem, & iurisdictionem, non solum in Spiritualia, sed etiam Temporalia.

71 Secunda ratio suadens authoritatem Temporalem deponendi Reges sic confi itur. Res publica Ecclesiastica, quia perfecta, & recte à Deo instituta, debet in suo capite gaudere omni necessaria Potestate, atque Iurisdictione requisita ad suū finem debito ordine obtinendum: sed ad finem spiritualem obtinendum, necessario est requisita *P*otestas, & temporalis Iurisdictio, etiam deponendi Reges: ergo in capite Ecclesiæ debet resīdere talis Potestas, & iurisdictio Temporalis etiam deponendi Reges. Maior est certa, quia iuxta Philosophum recte intendens efficaciter finem, tenetur intendere virtualiter media, sine quibus finis consequi non potest: ergo recte communicans Potestatem ad aliquem

quem finem tenetur communicare Potestatem, & iurisdictionem ad media, sine quibus finis consequi non potest, præcipue cum sub eius Potestate, clauduntur. Minor probatur, tum quia Potestas, & iurisdictio temporalis deponẽdi Regem potest esse vnicum prudenter medium iudicatum ad illius salutem, ad suique Regni commodum spirituale; alias temporales Principes fouerent Hæreticos, & euerterent Religionem; Tum quia Pontifex, vt Supremus Iudex Spiritualis potest imponere omnem pœnã delicto debitã. Sed hæc vnice iudicatur, quãdoque cõueniẽtissima Regni priuatio: Ergo. Tũ quia habens potestatem ad finem, non solum gaudet potestate ad media ponenda necessaria ad finis assecutionem, sed etiam iurisdictione potitur ad euellendum impedimentum fini prærordinato resistens: sed Regni possessio in Principe infideli, aut schismatico est impedimentum resistens saluti fidelitatis animarum totius Regni: eius enim exemplo aut adulatione plurimi pestilenter infestarentur. Si enim *Regis ad exemplum totus componitur Orbis*, faciliori naturæ lapsu Regis ad exemplum totus prævaricabitur Orbis. Legite Historias, & experientia agnoscetis, quantum Regis infirmitas præiudicet sanitati spirituali Regni. Imperante Constantino Fides Christiana florebat, Dominante Constantio pullulabat Arianismus, Regnante Iuliano Ethnicismus revixit, in Angliaque Regnante Henrico, & postea Duardo totum Regnum à Fide Apostatauit, Dominante Maria totum Regnum ad suaue Ecclesiæ iugum redit; Tyranice regnante impia Elisabetha

Calvinismus incepit, veraque exulauit, Religio: ergo vt hæc salutis spiritualis incommoda propulsemus, necesse est Potestatem, & Iurisdictionem deponendi Reges in Supremo Ecclesiæ capite fateri. Et hæc de tota America aurum, & argentum in visceribus concipiente, & de tertia huius elaborationis parte.

72 Ad quartam diffusam Asiam accedamus, & prius in minori, responsione scilicet argumentorum immoremur. Ad primum argumentũ respondeo Pontificem, non gaudere aliqua Potestate, & Iurisdictione, quæ in Christo D. propijssime non resplendeat. Ad probationem intendentem Christum caruisse Iurisdictione circa sæcularia ex Luca cap. 12. illis verbis: *Quis me constituit Iudicem super vos?* Dico illud solum probare, tunc Christũ D. non assumpsisse munus temporalis Iudicis, non tamen fuisse orbatum Potestate, si Iudicare vellet: ideoque Christus non negauit, sed innuit se à nemine ad hoc munus obeundum fuisse deputatũ, quod vno verbo compillauit D. Ambrosius relatus ab Alberto Pighio lib. 5. de Ecclesiast. Hierarch. cap. 1. vers. *Rursus*, ibi: *Terrena declinat, qui propter diuina descenderat.*

73 Ad eiusdem assumpti probationem ex Ioan. cap. 18 *Regnum meum non est de hoc mundo.* Respondeo Christum se non immiscuisse mundano Regno, nec dominia rerum, quæ liberaliter hominibus indulserat, sibi appropriare voluntatis potius, quam potestatis deffectu: quia humilem vitam agere destinauit temporalia contemnens, nullatenus tamen

tamen Christus se esse Regem Temporalem negauit, sed solum curauit, vt genus humanũ peccato primi Parentis infestatum redimeretur, peccatoresque ab æterna morte salui fierent, iuxta illud Ioan. 3. *Nõ misit Deus filium suum in mundum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum.* Et ita interrogatus apud Ioannem cap. 18. *Rex es Tu?* Non negauit, sed dixit: *Tu dicis, quia Rex sum ego*; nec redarguit Nathanaelem sibi dicentẽ Ioan. 1. *Tu es Rex Israel*, nec obiurgauit, immo deffendit Turbam, clamantem, & dicentem Ioan. 12. *Hosana benedictus, qui venit in nomine Domini Rex Israel.* Quare postquam dixit, *Regnum meum non est de hoc mundo*, addit: *Nunc autem Regnum meum non est hinc*; idest nunc cum patior, Regnum, quod habeo, voluntarie relinquere volo, sed post consumatam hominum Redemptionem, & meam Resurrectionem, iam gloriosus, impassibilis, & immortalis omnem mei Regni Potestatem, atque vsum assumam, & in hoc sensu se esse verum Regem Pilato respondit. Quod etiam confirmat inscriptio Prophetice in Cruce posita, quam variare noluit Pilatus dicens: *Quod scripsi, scripsi*, ac si diceret: recte scriptum est IESVS Nazarenus Rex Iudæorum.

74 Vt hæc Sacræ Scripturæ loca penitus penetrentur, duo sunt in Christo D. tempora consideranda; Primum ante Passionem, & tunc esse Regem, Iudicareque recussauit propter humilitatem; quare testimonia negantia Christum esse Regem loquuntur de hoc tempore. Secundum post Resurrectionem, & tunc verificantur omnia loca dicentia

Christum esse Regem, absolutaque Potestate gaudere; Immo ex hoc pro nostro firmo asserto retorquetur argumentū: Christus D. in vita solum dixerat: *Ædificabo Ecclesiam meam*, de futuro, non ædifico de præsenti, & ex Potestate Christi, cum illam tradidit, sui Vicarij Potestatē metiri debemus: sed Christus post Resurrectionem habuit vniuersalem Iurisdictionem etiam in Temporalibus, & post Resurrectionem etiam Petro clauium Potestatem, & omnium ovium curam commisit, vt constat Matth. c. 16. & vlt. ergo Petro, & Successoribus tradidit etiam in Temporalibus Potestatem.

75 Præterea inter Canonici Iuris purè cultores facilior erit solutio dicens Christum negare eius Regnum esse de hoc mundo, non tamen negare eius Imperium esse in hoc mundo, & ita non negare, se habere Temporale Dominium totius Orbis: quia cum dicit Regnum meum non est de hoc mundo, solum intendit, & exprimit, quod eius Regnum nullatenus ortum habet à mundo, nec ab hominibus, nec ab electione Populorum, nec Iure sanguinis, quæ omnia sunt de hoc mundo, sed quod eius Regnum habet à Deo triplici illo titulo Iure creationis, merito Redemptionis, & dono Patris explicatis n. 44. quæ non sunt de his mundanis titulis, sed cœlestibus.

76 Ad verba Ecclesiæ in Hymno Sedulij *Hostis Herodes impie, &c.* Respondeo Christum non venisse ad aufferenda Regna Temporalia, sed ad donanda hominibus cœlestia: quamvis enim erat vniuersalis Rex totius Orbis, & forte ob hoc

exijt

exijt edictum à Cæssare Augusto, vt describeretur vniuersus Orbis, quasi præparans Christo omnia mũdi Regna, ad prædicationem Apostolorum, & ad conferendum hominibus cęleste Regnum; non tamen huius, vel illius reguli dominium aufferre intendebat; propter quod recte ab Ecclesia reprahẽditur impius Herodes: quia vbi nullum periculum imminebat, timore amittendi Temporale Regnũ, trepidabat; hoc tamen non auffert à Christo esse vniuersalem dominum, & totius Orbis adhuc in Temporalibus Regem: sicut nãque influxus causæ vniuersalis non officit concursui particularis causæ; ita nec Regnum vniuersale Temporale Christi opponebatur dominationi particulari Herodis, & ita ab Ecclesia Iure optimo imprudentis timoris repræhenditur.

77 Ad authoritates P. Augustini, Hieronymi, Ambrosij, Basilij, Bernardi, & Liræ, in quibus solum dicitur Christum non Regnasse Carnaliter, nec Temporaliter, eius qui regnum, atque Dominũ esse cæleste, & perpetuum, Respondeo totum hoc verum esse, quin à Christo aufferatur Potestas, tàm circa spiritualia, quàm Temporalia: quia Christus, & Apostoli færè nullius rei temporalis dominium habuere, cum paupertatis fuissent amãtissimi, & ea sola mundi pompas vincere destinaverint, vt habetur Psal. 39. vers. 18. & Psal. 68. vers. 30. Matth. 8. v. 20. & 2. Corinth. 8. vers. 9. ibi: *Scitis gratiam Domini nostri Iesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cum esset diues, vt illius inopia diuites essetis.* De quo agitur in cap. *Dominus* dist. 39. & ita exemplũ

relinquit, vt si Dominus omnium à Temporalibus ita abdicatus propter suum cœleste Regnum, vt in nullo videatur habere dominium; fideles propter acquisitionem cęlesti Regni contemnant hæc inania, & paruo tempore duratura Regna, Temporalesque, quæ brebi dilabuntur, diuitias, aliquando tamen vsus est Christus temporali dominio, vt num. 49. & 70. dixi.

78 Ad secundum argumentum respondeo, Potestatem spiritualem, & temporalem solum diuersificari ratione materiæ: quia materia spiritualis ex æquo apparet à temporali diuersa, non vero ex parte Potestatis, quæ eadem realiter esse potest, vt in Deo, & Christo D. liquet, & late probat Rodericus Sanz Ouetensis Episcopus tom. de Eccles. eiusque minist. cap. 1. ex eo quod iuxta Philosophum 2. Physicorum effectus debet sapere naturam sui efficientis: sed iuxta Apost. ad Rom. 13. *Non est Potestas, nisi à Deo*: ergo Deus est efficiens Potestatis, & cum in Deo vna sit realiter potestas ad spiritualia, & sæcularia, in eius Vicario, in quo residet omnis Dei potestas, qua propter Deus viuens in terris nuncupatur, debet vna, & eadẽ Potestas reperiri circa Ecclesiastica, & sæcularia. Potestas enim in Ecclesia duplex est, alia ordinis, alia Iurisdictionis, vel administrationis. Potestas ordinis est, quæ respicit corpus Christi verum; Potestas iurisdictionis, vel administrationis, quæ respicit corpus Christi misticũ. Potestas ordinis est vna, & eadem in omnibus Sacerdotibus, & non plurificatur ratione subiectorũ, in quibus residet, quia omnes offerunt in persona vnius

vnius Sacerdotis, Christi scilicet, de quo verba consecrationis à diuersis Sacerdotibus prolata verificātur, non vero de persona ministrorum; est etiā idē corpus oblatum: non enim per vnum Sacerdotem ponitur vnum Christi corpus, & per alium aliud, sed idem realiter corpus Christi à verbis consecrationis cuiuslibet Sacerdotis per transsubstantiationē sub diuersis speciebus colocatur; ab omnibus item eadem Christi passio commemoratur, vt dicit Apost. 1 ad Corinth. 11. *Quotiescumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini anunciabitis, donec veniat.*

79 Potestas etiam iurisdictionis, vel administrationis, tàm circa Spiritualia, quam circa corporalia, tàm circa Ecclesiastica, quàm Sæcularia est eadem respectu corporis Christi mistici; nam omnes fideles, tàm Sæculares, quàm Ecclesiastici componunt idem, non diuersum misticū Christi corpus, cum triplici inter se ordine, videlicet cum ordine, quo Clerici ordinantur ad Clericos, quo laici ordinantur ad Clericos, & quo Laici ordinantur ad Laicos, quæ proprie corporalis, aut temporalis ordinatio dicitur; quia tamen omnes istæ ordinationes respiciunt idem corpus Christi misticum debent in eadem vnius Christi Vicarij Potestate residere; siue enim Clerici ordinentur ad Clericos, siue laici ordinentur ad Clericos, siue Clerici ordinentur ad Laicos, siue Laici ad Laicos, sunt semper idem Christi misticum corpus: ergo debent ab eadem ordinaria Potestate Christi Vicarij administrari. Quæ est deductio P. Augustini lib. 1. *de Trinit.* cap. 4. ibi:

Quemadmodum, & corpora grasiora, & inferiora, & subtiliora, & potentiora quodam ordine reguntur; ita omnia corpora reguntur per spiritum vitæ, & spiritus vitæ irrationalis regitur per spiritum vitæ rationalem, pium, & iustum, & spiritus pius, & iustus per ipsum Deum; & sic vniuersa creatura regitur per suum creatorem, ex quo, & per quem, & in quo condita, atque instituta est. Ex quibus constat Potestatem spiritualem, & corporalem vnam, eandemque esse solum cum diuersitate materiæ, in qua exercetur, quæ nõ valet Potestates ita diuersificare, vt inter se quasi naturali incompatibilitatis pugna repugnare videantur.

80 Ad probationem ex Matth. 22. *Redite quæ sunt Cæsaris Cæsari.* Respondeo Pharisæorum malitiam cum Herodianis, hoc est, cum Cœsarei tributi factoribus, & protectoribus, accesserunt religionis pallio induti quærentes, an liceret tributum dare Cœssari? Nam inter ipsos erat tum temporis controuersia, an hoc tributum solueretur à tempore, quo *Pompeius* Hierusalem devellavit auxilium præbens Hircano Pontifici Iudæorum contra eius Fratrem Aristobolum, vt docet P. Augustinus lib. 18. *de Ciuit. Dei.* cap. 45. an vero solum Iudæa fuerit Romæ tributaria à descriptione Augusti Cœssaris, vt tenet communior opinio, & reffertur à Iosepho lib. 18. *Antiquitatum* cap. 1, Vbi dicitur, quod Iudas Galilleus amabili libertatis prætextu tumultuantem seditionem Iudæorum contra Cæssarem confederauit, eo quod Populus Dei solum templo oblationem, & Sacerdotibus decimas ex Iure Diuino poterat

poterat solvere, non autem sæcularibus Principibus iuxta illud Deutoronomij 23. *Non enim, vecti gal pendens ex filijs Israel*: super quod fuit misserabiliter vita priuatus Iudas Galileus, eiusque sequaces in exilium missi, vt dicitur Act. 5. vers. 37. Hac ratione Herodianæ sectæ cultores in conspectu Pharisæorũ interrogauerunt Christo, an liceret tributum soluere Cęssari? Cum intentione, quod si negatiue res. ponsum præberet, contra Christum causam inimicitiæ cum Cęssare testibus comprobarent; & si affirmatiuè, aut licere staturet, Pharisæorum pertinatiam conuincerét, ideoque Christus dixit, *vt quid me tentatis Hipocritæ*. Postea vero accepit numisma ta census, & respiciens imaginem, & Cęssaris circunscriptionem dixit. *Cuius est imago, & circunscriptio*? Responderunt *Cæssaris: reddite ergo*, concludit, *Quæ sunt Cæssaris Cæssari*, ac si diceret: hoc non est vestrum, sed Cęssaris, vnicuique tribuentes, quod suum est, restituite imaginem suo prototypo, & animam, quæ Dei est, Deo; in quo tamen, nec resoluit tributa solvere, nec impedit solutionem census, sed solum quandam naturalem restitutionem cõmendat, in quo nullatenus vtriusque Potestatem diuersam innuere videtur.

81 Ad illud de Iniustitia Imperatorum in spiritualem sphæram suã introducentium Potestatem ex professo dicã n. 114. obiter tamen demonstro, quod est contra ordinem naturalem, & diuinũ inferiorem potestatem se intromittere in actibus superioris potestatis, vt patet in depositione Ignatij Constantinopolitani Patriarchæ facta à sufraganeis

neis authoritate Imperatoris, quę nulla declarata fuit à Pontifice, eo quod inferior sedes non potest Iudicare de pertinentibus ad sedem Superiorem, in c. *Inferior Sedes* 4. dist. 21. & in cap. *Cum inferior* 16. *de Maiorit. & Obedient.* Si enim par in parem non habet imperium, vt ex l. *Est receptum* 4. D. *de Iuridict.* multo minus in Superiorem; contra nullum tamen Ius naturale, & diuinum Iudicatur superiorem Potestatem, quandoque actus inferioris potestatis imperare, & exercere, maxime cum ad Superiorem Potestatem conducere videntur: sic Ecclesiasticus Iudex assumit Iurisdictionem Temporalem supposita negligentia sæcularis cap. *Cum sit generale* 8. cap. *Licet ex suscepto* 10. cap. *Ex tenore* 11. de Iudicijs. Gloss. *Ad text. in c. Si Clericus Laicum* 5. eodem tit. verbo *de Consuetudine in fine*, ibi: *Sed Papa siue sint negligentes, siue non, quotidie concedit litteras Clericis contra Laicos super quacumque quæstione, & ita assumit sibi Iurisdictionem aliorum* L. contra Pupilum 54. §. His qui D. de re iudicata. ibi: *His qui ad maius adiutorium vocatus est, si litem inchoatam deseruit cõtumax non videtur*, L. *Vnica*, C. *Quando Imperator inter pupilum*.

82 Vnde cum Potestas Cæssarea, & Regia sit inferior, & inferioribus, idest temporalibus præsit; Potestas vero Pontificia, & Spiritualis sit superior, superioribus, & æternis inseruiens, nihil mirũ, quod notorietate naturæ iniustum sit, Imperatorẽ, & Reges potestate inferiori indutos se intromittere actibus, & exercitijs superioris, & spiritualis Potestatis; at vero Pontifex, quia excellentia Potestatis su-

ſupereminens,nullomodo iniuſte, ſed debito ordine exercitia Regia,& miniſterialia Cęſarea,imo & ſupra ipſum Cęſaré, & Reges exercere valet,vt in Poteſtate viuentis corporis,& intelligentis animæ demonſtrant Philoſophi,vtpote, quia omnia illa ab ſpirituali anima procedere poſſunt. Præterea AA. iſti admittunt Imperatores,& Reges aliquo quæſito colore ſe intromittere in Eccleſiaſtica , & fateri renuunt Pontificem poſſe ſuam extendere Iuriſdictionem in ſæcularia, contra quos argumentú Franciſci à Sancto Auguſtino fideliter acommodo. Hæretici dicunt contra Ius eſſe Summum Pontificem habere Temporale Dominium,aut ad temporalia Principum ſuam diuertere Poteſtatem;& cur Regibus,& Principibus ſuis permittunt vtramque Eccleſiaſticam,& Ciuilem Poteſtatem , aut ad ſacra profanè ſuam extendere Iuriſdictionem? Itaque abſoluunt Reges Spiritualia vſurpantes, & damnant Papam Temporalia propter commune bonum adminiſtrantem,certe pudeat eos, dum ferire nos volunt,ſuo à nobis gladio iugulari. Nec Iacobi Angliæ Regis Apologiam pro clypeo obtendant, cum illa eos ictibus magis exponat.

83 Aſſumpti probatio,quod nemo Deo dicatus implicet ſe ſæcularibus negotijs,facile diſſoluitur,dicens,quod negotium ſæculare non dicitur gubernatio politica,maxime cum ad finem ſupernaturalem ordinetur;ideo nec Epiſcopis,nec Clericis prohibetur. Negotium ſæculare dicitur emptio, & venditio,& alij contractus vſurarij, & lucratiui, quæ ex ſe dirigi non poſſunt ad finem ſupernaturalem:

lem: quamvis enim finis supernaturalis non intenderetur, omnia illa essent necessaria ad vitæ conseruationē, & ambitionis humanæ cōmodū, vt dicitur dist. 88. per totā c. 1. *Ne Clerici, vel Monachi sæcularia, nec venationem exerceant*, cap. 1. & 2. *de Clerico venatore*: potest tamē esse aduocatus, nā Christus officiū aduocationis exercuit in c. *Discipul.* 26 *de Cōsecr.* dist. 5. & expresse probatur ex c. *Ex litteris* 1. *de Officio Iudicis*, vbi Iudex compelit Clericum ad hoc, vt patrocinium vnius partis suscipiat, & probatur ex cap. 5. *Nec Clerici*, vel *Monachi*, vbi clericis expresse prohibetur Iudicium sanguinis exercere, & in cap. *Sententiam sanguinis*. 9. eodem tit. ex quo videtur, quod in causis ciuilibus poterunt Ecclesiastici esse Iudices, & aduocati, quia prohibitum in vno in cæteris videtur permissum, argum. L. *Prætor* 1 2. *de Iudicijs*. Quod ergo prohibet Apostolus solum est, quod in negociatione sæculari commercij, venationis, &c. se Ecclesiastici intromittant, vt libere possint Deo vacare; at vero in directione Ciuili, & administratione Iuris inseruientes ex officio, Deo seruire, & multum spiritualis fructus afferre constat, cum dicat Apostolus 1. Corinth. 6. *Nescitis quoniam Angelos Iudicabimus? Quanto magis sæcularia?* Quod expendit Innocentius in cap. *Per venerabilem circa finem*, vers. *Paulus etiam, qui filij sint legitimi*, & Alexander III. in cap. relatum 2. q. 1. In quo non negotium sæculare, sed spirituale exercere Iudicamus, quippe Deo militans, & proximorum saluti.

84 Ad cap. *Cum ad verum* 96. dist. respondeo, quod ibi statuitur Imperatorem non solum

nomen

nomen Pontificis sibi non posse appropriare, quod nunquam in dubium venit, sed etiam nec eius Iura, & ita se non intromittere in Spiritualibus; at vero Pontifici præscribit, quod nomen Imperatoris non vsurpet, Iura tamen super Imperium, & Imperatorem retinens, vt ex ipsius tex. verbis clare liquet, ibi: *Nec Imperator Iura Pontificatus, nec Pontifex nomen Imperatorium:* ergo non dicit, Pontifex Iura Imperatoris non vsurpet, quia Pontificis est supra Imperiũ, & Imperatorem ipsum Ius diuinum habere etiam in Temporalibus. Ex quo tex. potius nostra probatur conclusio, quam impugnatur: nam Papa inter omnes mundi Principes Supremum obtinet Principatum, & Monarchiam, & est maior omnibus hominibus, & vnus omnium Princeps constitutus super Reges, & Regna, causa causarum, Dominus dominantium, vertex omnium dignitatum, taleque Ius in omnia possidet, vt nullus ei dicere possit, cur ita facis? Nec defacto eius Iudicare, iuxta Gloss. in cap. *Quanto*, & in cap. *Cuncta per Mundum* 9. q. 5. & traditur ab Innocencio in cap. *Inquisitioni*, n. 3. & 4. *de Sentent. Excommun.* Ideo nequit Imperator nominari, quia tale nomen alienum est à Pontificia dignitate: nam in tali voce includitur, & dominium, & supervia adhuc in gentium conspectu; at vero Pontifex dicitur Pater, eo quod Paternaliter præcipiat, & suaviter dirigat: ideoque cum præcipit à tempore S. Gregorij, vt tradit Ioannes Diaconus in vita Gregorij lib. 2. cap. 1. *Inscribitur servus servorũ Dei*, vt denotetur, non vt Imperatorem, & Dominum, sed vt Christi Vicarium, & fidelem spiritualium

dis-

dispensatorem loco Dei illa statuere: quod enim Papa facit, Deum facere videtur, iuxta notanda in cap. *Si quando*, in cap *Cum à Deo de rescript*. cap. *Proposuit de concessione prabenda*; quia cum sit Vicarius Dei, eius facta Deo tribuuntur, cap. *Quanto de Translat. Episcop.* quia semper præsumitur iudicare, quod Deus esset iudicaturus. Ex cap. *Nonnos dist.* 40. & cap. *Nouit* 45. *de Appellat.* & ex alijs pluribus Iuribus congestis à Valen. contra Venetos 6. p. à n. 86. Et cum Ius Dei se extendat ad Imperij, & Imperatoris etiam in temporalibus Iura, similiter eius Vicarius, quin nunquam Imperij Iura vsurpare intelligatur.

85 Constatque solutio huius cap. *Cum ad verũ*, quia ibi solũ agebatur, quod Michael Imperator Constantinopolitanum Patriarcham ab Episcopis deponi iussit, & in hoc tex. Nicolaus Papa dixit, quod hoc minime facere potuit, sacrilegè se intromittens Imperator in Ius Spirituale, & Pontificis. Scio tamen, quod Papa aliquando Imperator appellatur in cap *Constantinus* 96 dist. & per Præpos. in cap. *per Venerabilem* num 136. *Qui filij sint legitimi*. Et rectè dicitur Princeps Principum mundi, alias superiorem non recognoscẽtium, & culmẽ omniũ dignitatum, cap. *Corpora de Consecrat.* dist. 1. c. *Venerabilis de prabend.* cap. *Solita de maiorit. & obedient.* cum late traditis à Valenc. in monitorio contra Venetos 5. p ex n. 100. & 6. p. ex n. 80.

86 Ad Iura n. 12. allata distinguentia Pontificis, & Imperatoris Potestates, respondeo generaliter verum esse duas istas Potestates regulariter distin-

tinctas esse,& non confundi,sed se iuuare;illis tamen iuribus non negatur in Romano Pontifice,vt in Supremo totius Ecclesiæ capite,& mundi Vice-Deo, quod vtraque resideat potestas,& ab eo tam totius spiritualis Iurisdictionis fons,quam temporalis potestatis origo dimanet,vt cum Iudicauerit expedire, illa vtatur. Vnde recte dixit Baldus in cap. *Qui feud. dare possunt*,quod Summus Pontifex est Iudex ordinarius omnium hominum totius mundi , & concurrit cum quolibet alio Iudice ordinario , vt tradit Gloss.in cap. *ex transmisso de foro compet.* & licet ex Iudicibus Laicis regulariter non appelletur ad Papam,quia non sunt de eius temporali iurisdictione, cap. *Si duobus* § *Denique de appellat.* Vbi Abbas n.5. tamen vbi iniustitia Imperatoris,vel Regis esset notoria,& in casibus arduis posset recurri ad Papam, quod late tradit Innocentius in cap *Licet ex suscepto de foro compet.* & Martha tract. de *Iurisdict.* 4.p casu 56.num.5.dicit hoc non solum procedere propter peccatum notorium iniustitiæ , vel ne perturbetur tranquilitas vniuersalis, sed etiam ratione propriæ temporalis iurisdictionis, quam Pontifex habet in vniuerso Orbe.

87 *In* particulari ad cap. *Quoniam* dist.10. dico,quod ibi Nicolaus solum statuit,quod actibus, & distinctis dignitatibus officia potestatis vtriusque discreuit; non vero ipsas potestates ; quia officium potestatis dicitur exercitium potestatis ; & ita voluit temporalia per Imperatorem,vel Reges exerceri,& spiritualia per Episcopos,& Sacerdotes;hoc tamen non tollit, quod in Papa sit vtraque Potestas,

tas, ſicut ex eo, quod officium Pontificium ordinandi exerceatur per locales Epiſcopos, non tollitur, quod poteſtatiue ſit in Papa, ſed ſolum, quod per eius miniſtros in executione ponatur, vt dicam num. ſequenti. Eodem modo reſpondetur ad cap. *Duo ſunt* 96. diſt. & ad c. *Nos ſi incompetenter.*

88 Ad cap. *Solitæ de maiorit. & obedient.* reſpondeo, quod Innocentius ibi repræhendit Imperatorem ſecundum Conſtantinopolitanum, eo quod Patriarcham iuxta ſuos pedes ſedere faciebat, & reſpondet in hoc cap Ineptæ intelligẽtiæ verborũ D. Petri: *Subditi ſtote omni humanæ creaturæ.* Et concludit ex Diuina Inſtitutione Sacerdotalem dignitatẽ præcedere Imperiali, reffertque reuerentiam, quam alij Reges Epiſcopis libenter profitentur; ex quo potius noſtra confirmatur concluſio, vt ex *Gloſſ.* conſtat. Deinde in hoc cap. Innocentius tribuit Papæ authoritatem, Imperatori vero poteſtatem, Papæ ius faciendi, Imperatori actum, ſeu exercitium; tamen ex hoc non ſequitur, quod temporalis iuriſdictio Imperatoris ab ſpirituali, & temporali Papæ non dependeat: ſicut licet in cælo duo videantur luminaria magna diſtincta; Luna tamen à Sole lumen mutuatur, & ideo dicitur eodem cap. Solitæ *Quanta eſt inter ſolem, & lunam, tanta eſt inter Papam, & Imperatorem differentia.* Quod erudite conuincit Ioannes Baptiſta Valenzuela *Monit.* contra Venet. 4. p. n. 178. Vbi concludit, quod Chriſtus transtulit omnimodam poteſtatem in Petrũ, & Succeſſores etiam quoad temporalium adminiſtrationem: attamen vt Sacerdotes diuinis ex corde, vacarent, & Pontifex

ſaluti

saluti animarum intenderet, permissa est Imperatori, & Regibus temporalium administratio. cap. *Cum ad verum* 96. dist. Et ideo Ecclesia verè Monarchiā à Christo fuit adepta, quæ Apostolorum dicitur Regnum, cap. *Ita Dominus* 19. dist. 22. cap. *In nouo* 21. c. 2. dist. 22. c. *Loquitur* 24. q. 1.

89 Ad cap. *Per venerabilem, qui filij sint legitimi*, dico, quod ibi agebatur de disparitate inter nobilem virum Regi subiectum, & Regem Franciæ, vt legitimati fuissent filij Regis, non vero illius Domini de Monte Pesullano, & inter disparitates ponitur illa, quia vir iste in Temporalibus Superiorem habebat, non ita Rex Franciæ. Præterea in hoc c. dicitur: *Non solum in Ecclesiæ Patrimonio, verum etiā in alijs Regionibus iustis causis inspectis temporalem Iurisdictionem causaliter exercemus*. Ergo ex hoc cap. potius colligitur Pontificem gaudere Potestate in Sæcularia, & Temporalia. Præterea Rex in Temporalibus superiorem non agnoscit, dum alium temporalem pure dominum non recognoscit, hoc tamen non tollit Deum, eiusque Vicarium superiorē venerari, quia in Papa non agnoscit superiorem pure Temporalem, sed æternum, & spiritualem: Temporalia enim, cum à Deo, vel eius Vicario reguntur, potius Spiritualia, quam Temporalia dici debent, eo quod ad supernaturalem finem ordinantur: sicut bona sæcularia, quæ vsui Ecclesiæ traduntur spiritualizantur ratione finis, & pro eodem habentur, ac si essent spiritualia, cap. *Nouerint*. 6. 10 quæst. 1. Lara de Capellan. lib. 2. cap. 1. num. 15. ibi: *Nam sicut Ecclesia, & Clerici, ita eis datum, seu re-*

lictum est in patrimonio, et regimine Ecclesiæ.

90 Hinc vero subiectionem Deo, & eius Vicario in temporalibus pie, & humiliter profitentur Imperatores, & Reges suorum titulorum initio, dum dicũt se Dei gratia Regna possidere, quia Deus in sua potestate habet omnium Regnorum, & Imperiorum distributionem, & conseruationem; cum omnis Principatus, & status à Deo authore naturæ immediatè proueniat, licet ipsi Principes media humana voluntate, & institutione ad eorum fastigia prouehantur, vt habetur 1. ad Rom. 13. ad Timot. 3. Prouerb. 8. & egregie probat *L. 1. L. Inter claras C. de Summa Trin.* L. 1. *de vet. Iure enuclea in princ l. vlt. C. de quad. præscript.* D. Aug. in c. *Quo iure* dist. 1. c. *Cõstãt.* c. *duo sũt*, c. *Imperator* 96. dist. c. *Si ex bono de pœn. dist.* 4. & obseruat Couarrub. in *Pract.* cap. 1. & plures alij relati à Bouadilla in Polit. lib. 2. cap. 17. n. 2. & doctissime Pater Suarez *in defensione contra Sectam Angliæ* lib. 3. c. 2. n. 10. Licet aliqui ambitione tumidi religioso titulo inflentur ad denotandum nullum alium superiorem in terris agnoscere, vt tradit Burgo de Paz in proæmio leg. *Taur.* n. 30. Cassaneus in proæmio ad Consuetudinẽ Burgund. verbo por la grace, Camillius Borrel de præstantia Regis Catholici, pluresque alij.

91 Ad cap. *Nouit de iudicijs*, respondeo, quod Pontifex ibi dixit, quod ratione peccati, vel Iuramenti est sine controuersia certum ad ipsius spectare Iudicium, super quod tunc iudicabatur, vt patet ex verbis eodem cap. allatis, ibi: *Sed decernere de peccato, cuius ad nos pertinet, sine dubitatione censura*

ra. Deinde non dicit, quod non poterat, sed quòd non intendebat Iudicare de feudo: quia cognitio, & iurisdictio feudi regulariter domino relinquitur, etiam si contra personas Ecclesiasticas agatur, cap. *Cæterũ de iudicijs*, cap. *Verum*, cap. *Ex transmissa de foro compet.* Vbi idem frequenter docent DD. & ideo quilibet ab altero feudum recognoscens, etiam si sit Sũmus Pontifex, Imperator, vel Rex, super feudalibus controuersijs debet Iudicari à directo domino feudi: redit rationem Marta, quia propter feudalem inuestituram semper censentur esse inferiores directo domino, Bald. in L. *Sed si hac* §. *Si liberta D. de in Ius vocando.*

92 Ad cap. *Lator*, & cap. *Causam* 2. qui filij *Sint legitimi*, dico quod attenta consideratio Pontificis in possessionibus, quatum nullum maius emolumentum Ecclesiæ accrescebat, recte docuit pertinere ad Regem, non ad Ecclesiam: magis namque expediens, & congruentius à Rege fieri Iudicium de talibus possessionibus, quia Rex causam agnouerat, Pontifex vero illius fere notitiam non habebat, & ita dicit: *Nos attente considerantes, &c.* Et etiam, quia Pontifex non vtitur gladio temporali, nisi in bonum commune, & aliqua existente causa, ibi autem nulla apparebat, quia Pontifex potest Iudicare, cum sibi expedire videbitur, non tamen ex solo liberę voluntatis intuitu debet procedere, sed iusta aliqua causa, & bono publicæ vtilitatis suadente, & tanquam Deus, qui est ipsa veritas, vt præclare docet Bald. in tit. *de Pace Constantiæ*, §. *In nomine Christi*; vbi allegat doctrinam Innocentij cap. *Cum sit*

generale de for. compet. & in cap. *Super litteris de rescript.* & in cap. *Cum super abbatia de offic. deleg.* qui docet, quod quando causa requiritur tanquam fundamentum Iurisdictionis, opportet eam inesse, & veram, & discussam esse; alias Iudicium erit nullú ipso Iure. Vnde Iason in l. Barbarius col. 6. versic. *Circa duas* D. de offic. Prætor. Carolus Tapia in Rubr. *de Constit. Princip.* cap. 1. per totum, & Marcus Anton. Petra *de Potest. Princip.* cap. 24. num. 56. & 90. Vbi resoluunt, quod Papa, vel Imperator Iure Diuino, Naturali, vel Gentium, prout fuerit dominium, sine causa derogare non potest, & quod Papa à Deo non recipit Potestatem peccandi, sed iuste, & licite ligandi, & soluendi, & quod vbi velet, id ex causa facere opportet, quod illa respiciat vtilitatem publicam principaliter, quod late prosequitur Solorzan. lib. 2. de *Iure Indiar.* c. 24. n. 6.

93 Multoties tamen contingit, vt quis priuetur Iure suo sine culpa sua, non tamen sine causa, vt notanter exprimit Glos. in cap. *Cognoscentes* de constit. & in cap. *fin. ex chol. 2.* de eo, qui cognoscit consanguineam vxoris suæ, & in cap. *Sine culpa de regul. iur.* in 6. ibi: *Sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus.* Semper ergo exigitur causa, licet non necessario requiratur culpa ad iudicium assumendum de talibus possessionibus. Fateor tamen D. Bernardum absolute lib. 1. de Considerat. ad Eugen. docuisse in criminibus, non in possessionibus Pontificem Potestatem habere, quia hæc infima, & terrena sunt Regibus terræ relinquenda: quia licet Pontifex absolute possit, magis illi congruit, vt per

alios

alios possessio executioni mandetur, & ideo subdit D. Bernardus: *Non quia indigni vos, sed quia indignum vobis talibus insistere: quippe potioribus occupatis. Denique vbi necessitas exigit, audi, quid censeat, non ego, sed Apostolus. Si enim in vobis Iudicabitur mundus, indigni estis, qui de minimis Iudicetis; sed aliud est incidenter excurrere iusta causa quidem vrgente; alio vltro incumbere estis, tanquam magnis, dignisque tali, & talium intentione rebus.* Ex quo patet, quod non negatur Iudicium possessionis Pontifici ex defectu Potestatis, sed ex vilitate materiæ, supra quā congruēs non videtur, nisi graui vrgente causa iudicare.

94 Ad cap. *Inter hæc* 6. 33. q. 2. dico, quod in ordine ad causam, de qua ibi agitur, scilicet vtrum Marito liceret interficere vxorem adulterio deprehensam? Ad quod optime respondetur Ecclesiam gladium non habere, nisi spiritualem, vt denotet in Ecclesia non esse gladium ad feriendum, & interficiendum, & etiam vt statuatur potestatem Ecclesiæ non esse Regijs, aut Imperialibus legibus subiectam, & ideo non curare de lege Lombardica, nec de alijs permittentibus homicidium in adulterij vindictā. Præterea dici potest in Ecclesia esse solum gladium, aut potestatem spiritualem, quia gladius materialis in manu Pontificis honore Pontificali afficitur, & quamuis in temporalia tendat, ita spiritualizatur, vt nullis mundanis, sed solum spiritualibus sit adstrictus, & districtus, vt de bonis traditis Ecclesiæ dicebam num. 89.

95 Ad cap. *Imperium* dist. 10. Constantinopolitanum Imperatorem ad constringendas habe-

nas proponitur ex Gregorio Nazianc. Ecclesiasticã legem præferri debere Imperiali, cum sit à Superiori Principatu, scilicet à Christo D. tradita, cui & ipsi Imperatores subduntur: cordate enim meditantes cognoscunt nullum præiudicium inferre Imperio, cum ea, quæ ad Imperatorem pertinent, Imperatori sine controuersia relinquantur: tamen Iudicare de ipso, & de omnibus temporalibus ad bonum commune Regni non est præiudicium inferre, sed maximam in spiritualibus, & temporalibus conuenientiam afferre, vt ex factis, & depositionibus memoratis num. 50. constat, quæ nullatenus fuerunt in præiudicium Regnorum, immo nec ipsorum Imperantium; si quidem plures ex illis micanti diuinæ iustitiæ lumine, & sui Vicarij continuata monitione Deo reuixere, & peccata deplorantes veniam, & misericordiam à Deo, & à Sancta Sede Apostolica obtinuerunt, vt dixi n. 67.

96 Ad 3. argumentum respondeo cum P. Augustino lib. 1. *de Ciuit. Dei* cap. 8 9. & 10. omnia Deum donare, vel ad suam misericordiam, & clementiam ostendendam, vel ad rectitudinem, & rigorem iustitiæ demonstrandum. Et ita videmus apud pessimos interdum, & crudelissimos Tyranos Imperia transferri, non quod Deus illos eligat, sed quod eorum electionem permittat, scelera sceleribus puniens, & atrocia delicta attrocibus pœnis, etiam per manum suorum inimicorum rependens, vt P. August. tradit à cap. 20. *De gratia, & libero arbitrio*, ibi: *Inuenimus aliqua peccata, pœnas esse aliorum peccatorum, sicut sunt vasa Iræ, quæ perfecta dicit Apostolus*

stolus in perditionem, sicut est induratio Pharaonis, cuius causa dicitur ad ostendendam in illo virtutem Dei, sicut est fuga Israelitarum de Ciuitate Gad, & quando filius Gemini maledixit Dauid dixit: dimittite eum, vt maledicat, quoniam dixit illi Deus, vt videat Dominus humilitatem meam, & retribuat mihi bona pro maledicto eius, sic etiam dixit Iudæ, quod facturus es, fac citius, sic vsus est Iudæis crucifixentibus Christum, & quanta inde bona præstitit prorsus credituris. Diabolo etiam vtitur pessimo, sed optime ad exercendum, & probandam fidem, & pietatem bonorum Affert etiam illud Ezechielis 14. *Ego Dominus decepi Prophetam illum*, & illud ad Rom. 1. vbi de Philosophis, quia non egerunt Deo gratias de beneficijs sibi collatis dicit Apostolus: *Propterea tradidit illos Deus in desideria cordis eorum in immunditiam*. Itē paulo post *propterea tradidit illos Deus in passionem ignominiæ*, & infra, *Sicut non probauerunt Deum habere in notitiam, tradidit illos Deus in reprobam mentem, vt faciant, quæ non conueniunt*, quibus propositis concludit P. August. cap. 21. ita: *His, & talibus testimonijs, quæ omnia commemorare nimis longum esset, satis, quantum existimo, manifestatur operari Deum in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates, siue ad bona pro sua misericordia, siue ad mala pro meritis eorum, iudicio vtique suo, aliquando aperto, aliquando occulto semper tamen iusto: fixum enim debet esse, & immobile in corde vestro, quod non est iniquitas apud Deum, ac per hoc quādo legitis in litteris veritatis à Deo seduci homines, aut obtundi, vel obdurari corda eorum, nolite dubitare præcessisse mala merita eorum, vt iuste ista paterentur.*

tur. Idem habet Psal. 75. cui consonat Seneca in Epist. *Maxima pœna peccantium est peccasse, & scelus in scelere supplicium est*. Idem docet P. August. lib. 2. *Confess*. cap. 12. lib. 5. *Contra Iulian. Pelag*. cap. 3. lib. de Prædest. SS. c. 15. & 16. lib. 83. quæst. q. 77. & alibi.

97 Idque etiam pluribus exemplis probatur in cap. *Remittuntur*, 23 q. 5. quod etiam notauit D. Hieronymus in cap. *Audacter* 8. q. 1. Iudices, & Principes iniquos non dari per Dei arbitrum, sed pro vt nostra merita deposcunt, vt in Saule contingit, qui secundum Archidiac. ibidem fuit electus per extortam à Deo voluntatem, non spontaneam, vt probatur 1. Reg. cap. 8. Idem traditur ex capit. *Ex merito* 6. q. 1. ibi: *Ex merito Populi non nunquam Episcopi deprauantur, quatenus procliuius cadant, qui sequuntur*, & Iob 34. dum dicit: *facit Deus regnare hipocritam propter proteruiam Populi*, intellige, puniendam, seu vindicandam, vt aduertit additio Hugonis, & Laurentij in d. c. *Audacter*, & text. cum Glos. in cap. *His itaque* 6. dist. Vnde in Genesi legitur Nembroth robustus venator coram Domino, sic interpretatur; hominum oppressor permittēte Deo; quare P. August. lib. 19. de *Ciuit. Dei*, cap. 14. Sic legit, & exponit illud Prouerb. 8. *Per me Reges regnant, & Tyrani per me tenent terram*. Et Tertulianus in lib. de exortat. ad Castit. ait: *Nam si quædam videntur voluntatem Dei sapere, dum à Deo permittuntur, non statim omne quod permittitur ex mera, & tota voluntate procedit eius, qui permittit. Ex indulgentia est, quodcumque permittitur, quæ & si sine volun-*

tate

tate non est, quia tamen aliquam habet causam in loco, cui indulgetur, quasi de invita venit voluntate, passa causam sui, quæ cogit voluntatem. Aliud namque est præcipere, aliud permittere, & id, quod permittimus, non aprobamus cap. *Nec mirum* 26. q. 5. cap. *Hac ratione* 31. q. 1. cum traditis à Præposito in cap. *Qui sincera* col. vlt. dist. 45.

98 Ad illud Pauli ad Rom. 13. vbi dicit esse obediendum Regibus, & Principibus, respondet Marta non tractari de Ethnicis, & infidelibus, quod recte impugnat Suarez *in defensione Fidei,* lib. 3. cap. 4. num. 5. & ideo respondeo monitiones illas fuisse ab Apostolo traditas tempore pullulantis Ecclesiæ, quo necesse erat, ne Gentilibus scandalum præberetur, si suis bonis, aut seruis spoliarentur, vt D. Petrus expresse subiungit: omnia quippe suis conueniunt temporibus, *distingue tempora, & concordabis iura,* vt docet P. August. in cap. *Si Ecclesia* 23. q. 4. Voluit enim Ecclesia blande, & suauiter cum Regibus procedere, vt per huiusmodi subiectionem valeamus eos Christo lucrifacere, cap. *Infideles* 24. q. 4. & cap. *Ad mensam* 1. q. 8. & expresse habetur ad Colosens. 4. ibi: *In sapientia ambulate ad eos, qui foris sunt*; super quæ verba Theodoretus, ait: *Hoc est ad eos, qui nondum crediderunt, nullam damni occassionem eis date, pro ipsorum salute omnia molimini.* At ex hoc potius congruenter ostenditur subiectioně Principum etiam Ecclesiæ. Respice quæso attente Pauli sententiam. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*: implentes ò Reges legem illam naturalem à Christo D. propositam, &

com-

commendatam: quæcumque vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis, quam obedientiam à subditis requiritis, eam præstate fidei Dispensatori, quem Christus super omnia bona sua constituit, vobisque præposuit, vt rationem pro animabus vestris sit redituius, vt Paulus omnibus fidelibus præcipit: *Obedite Præpositis vestris, & subiacete eis: ipsi enim pervigilant tanquã rationem pro animabus vestris redituri* Hoc non minus ad Reges, quàm ad Episcopos, & fideles Christianos pertinet. Si tamen Magnates Potentissimis verbis meæ humilitatis dedignentur attendere, audiãt D. Bernardũ ad Conradũ Regem scribentem, & Melliflue alloquentem: *Regis dedecus, Regni ve diminutionem nunquam volui, violẽtos odit anima mea. Legi quippe, omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, & qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit Quam tamen sententiam cupio vos, & omnibus modis moneo custodire in exibenda reuerentia Summæ, & Apostolicæ Sedi, & Beati Petri successori, sicut ipsam vobis vultis ab vniuerso vestro seruari Imperio: sunt, quæ non putaui, scribenda, præsens ea fortasis opportunius intimarem.*

99 Ad l. *Partitæ* num. 13. allatam, dico, quod Rex, aut Imperator dicitur Vicarius Christi, sicut Pontifex, sed cum discrimine, quod Pontifex principaliter in spiritualibus, & minus principaliter in temporalibus; Imperator vero solum in temporalibus, vt habetur L. 5 tit. 1. part. 2. & tenet Greg. in Glos. verbo *Vicarius*, in hocque æquiparari Imperatores respectu temporalium cum Pontifice respectu Spiritualium, quia Imperator eodem modo dicitur,

dicitur, ac Pontifex Dei Vicarius, cum solus Deus sit supremus Dominus spiritualium, & temporalium, & ideo Reges, & Imperatores se debent, vt administratores, & temporalium dispensatores gerere, sicut & Pontifex non est Dominus spiritualium, aut temporalium, sed solum Christi Vicarius, & pro tempore administrator. Solus Deus est, cuius natura bonitas, cuius potentia voluntas, vt dixit S. Leo Papa; in alijs vero iuxta libitum potestas est contra prima naturæ rudimenta. L. *Filius, qui fuit in Potestate* de conditione Institut. ibi: *Quam Senatus, aut Princeps improbant, quæ facta lædunt pietatem, verecundiam nostram, & quæ contra bonos mores fiunt.* Imperatores indignum tantæ maiestati iudicarunt liberè viuere, & secundum nutum suæ voluntatis disponere, & ideo ad rationalis vitæ conseruationem conueniens vtique existimarunt Imperium, & Imperatorem legibus obstrictum, non vi, sed naturalis rationis suauissimo Imperio florescere, vt habetur *L. Digna vox. C. de Legib.* Hac ratione Imperator Dei Vicarius, & non Dominus in temporalibus ab Hispanico Salomone vocatur.

100 Hoc etiam, & præstantiori obligatione aduertere tenentur Pontifices, cum eorum titulus sit Vicarij Christi, diuina delegatione, aut administratione, non dominio, vt docet D. Petrus epistol. 1. cap. 5. *Non dominantes in Clero, sed forma facti gregis,* & Lucæ 22. *Reges gentium* (non Christianorum, hi enim Vicarij etiam Dei in temporalibus recognoscuntur) *dominabantur eorum, vos autem non sic.* De administratoria Potestate hoc intelligi debe-

re

re clare ostendit Paulus 1. ad Corinth. 4. *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores ministeriorum Dei: hic iam quaeritur inter dispensatores, ut fidelis quis inueniatur.* Super hunc locum Soto lib. 3. de Iust. & Iure art. 2. ad 5 ait: *Non est opus argumento, ubi Apostolica tuba canit, à qua Ius Canonicũ discrepare non potuit, nec credendus est Pontifex assensisse unquam assentationi dicentium esse cum dominum: est enim Pontifex fidelis seruus, & prudens, quem, &c.* Velut dicit D. Petrus epist. 1. cap. 4 *Sicut boni dispensatores multiformis gratiae, si quis loquitur tanquam sermones Dei, si quis administrat tanquam ex virtute, quã administrat Deus.*

101 D. Thom. agens *de rerum spiritualium distributione* 2. 2. q. 63. art. 2. in solutione ad 1. ait: *Quorum Praelatus Ecclesiasticus non est Dominus, ut ea possit dare pro libito, sed dispensator*; fundatus in loco relato D. Pauli 1. ad Chorinth. 4. Cardinalis Caietanus ibi addit: sub nomine Ecclesiastici Praelati clauditur etiam Papa: est enim Christi minister, & dispensator ministeriorum Dei, ideo opportet fideliter dispensare. Idem docet D. Thomas 2. 2. q. 100. art. 1. in solutione ad 7 *Quamuis enim res Ecclesiae sint eius* (scilicet Papae) *ut Principalis dispensatoris, non tamen sunt eius, ut domini, & possessoris.* Idem habet D. Thom. *de Regim Princip.* lib. 3 c. 3. Quod late obseruat Nauarrus de *Expoliis Cleric.* §. 11. Sed sunt valde notandi, & memoria retinenda verba D. Bernardi lib. 3. de considerat. ad Eugen. c. 1. *Dispensatio tibi super Orbem credita est, non data possessio. Si pergis vsurpare. & hanc, contradicit tibi, qui dicit, meus*

est

est Orbis terra, et plenitudo eius: possessionem, et dominium cede huic, tu curam illius habe: pars tua hac, vltra ne extendas manum. Et lib. 2. cap. 6. concludit: *Forma Apostolica hac est, dominatio interdicitur, indicitur administratio.*

102 Nec enim audiendi sunt DD. statuentes Pontificem habere dominium verum, & rigorosum spiritualium, non posseque in simoniachum delictum incurrere; nec etiam auscultandi sunt AA. temporale dominium in vniuerso Orbe Pontifici abscribentes, quia isti tollunt ab ipso rationem Christi Vicarij in temporalibus, & spiritualibus: si enim Reges Catholici recte iudicant in hac leg. *Partita* Imperatorem esse Vicarium Christi, & dispensatorem, quanto magis Ecclesiastici, Ecclesiæque DD. debent pleno ore fateri Summum *Pontificẽ*, nec in spiritualibus, nec in temporalibus habere dominium, sed solam administrationem, esseque in omnibus Christi Vicarium. Pro hac veritate firmanda omnes Ecclesiæ PP. possem afferre, & sinceritatis DD. non mendacis adulationis Magistros. Vnum tamen refferam testimonium, quod *Paulo* III. fuit propositum ex matura consultatione S. R.E. Cardinalium Contareni, Theatini, Sadoleti, & Reginaldi, & Archiepisc. Frederici Salernitani, & Hieronymi Brunducini, & etiam Ioannis Matthæi Episcopi Veronensis, Gregorij Abbatis S. Gregorij, Beati Fratris Thomæ de Lemos Sacri Palatij Magistri, quod reffert Claudius Spenseus cap. 1. Epistolæ ad Titum, & inuenitur in fine Summæ Conciliorum Salmanticæ excussæ anno

1551

1551. ibi: *Et quoniam Sanctitas tua Spiritu Dei erudita, qui, ut inquit Augustinus, loquitur in cordibus nullo verborum strepitu, pro bè nouerat principium horum malorũ inde fuisse, quod non nulli Pontifices nostri prædecessores pruriẽtes auribus (ut inquit Apost. Paul.) coaceruauerunt sibi Magistros ad desideria sua, non ut ab eis discerent, quod facere deberent, sed ut eorum studio, & calliditate inueniretur ratio, qua liceret id, quod liberet: inde effectum est (præter quam quod Principatũ omnem sequatur adulatio, ut umbra corpus, difficilimumque fuerit semper additus veritatis ad aures Principum) quod confestim prodirent Doctores, qui docerent Pontificem esse dominum beneficiorum omnium. Ac ideo, cum Dominus Iure vendat, quod suum est, necessario sequi in Pontificem non posse cadere symoniam, ita quod voluntas Pontificis, qualiscumque ea fuerit, sit regula, qua eius operationes ac actiones dirigantur, ex quo proculdubio effici, ut quicquid libeat, id etiam liceat. Ex hoc fonte, Sancte Pater, tanquam ex equo Troyano irrupere in Ecclesiam Dei tot abusus, & tam grauissimi morbi, quibus nunc conspicimus eam ad desperationem fære salutis laborasse, vel manasse harum rerum famam ad infideles usque (credat Sanctitas vestra scientibus) qui ob hanc præcipue causam Christianam Religionem derident adeo, ut per nos, per nos inquimus, nomen Christi inter gentes blasphemetur.* Ex quibus constat Pontificem non dominum, sed domini Vicarium in Temporalibus, & Spiritualibus, quod minime opponitur cum Regum dominio, aut cum eo, quod sint Dei Vicarij foranei, aut inferiores solum in temporalibus subiecti generalibus, & superioribus Vi-

Vicarijs, vt communiter de Vicario Foraneo comparato cum ordinario Episcopi dicitur in cap. *Cum Episcopus de offic. ordinarij* cap. *Conquarente*, cap. *Cum dilectus extra Eodē tit.* cap. *Cum venerabilis de except.* & pluribus alijs, quæ de incompatibilitate horum Vicariorum reffert Narbona 1. p. de appellat. à Vicario ad Episcopum ad cap. *Non putamus. 2. de Consuetudine* à n. 31.

103 Ad id quod num. 14. apponitur, constat tot Iuribus, & praxi reuerenti omnium Catholicorum firmitate sacrata Pontificem posse Reges deponere. Exempla namque SS PP. sine dubio sunt sequenda, & secundum illa licite valet Iudicare, vt docet text. in cap. *De quibus* dist. 20. cap. *Qui de mēsa* dist. 37. cap. *Omnes* 7. q. 1. cap. *Vltimo* 9. q. 3. cap. *Nō est culpandus* 23. q. 2. actus enim maiorum pro lege accipiuntur. L. *Capitalium* § *Vltimo D. de pœnis*, L. *Minime D de Religios. & sumpt. funer* L. 2. D. *De vulgar.* L. *More D de Adqur. hæred. & Iurisdict. omnium Iudic.* L. *Non omnium* 20. D. *de legib* cum multis alijs obseruatis à Ludou. Gom. *in Regul. de trien. Poss.* q. 2. pag. 672. depositiones relatas à num. 50 matura cōsideratione fecerunt Summi Pontifices, quorum authoritas multo fortius veneranda est, maior est enim, quam authoritas Sanctorum, vt tradit Glos. in cap. *de Libelis* dist. 20. Vald. in L *Præscripta*. num. 7. C. *de præcibus Imp. offerend.* & cum tales depositiones non solum ab vno, sed à pluribus Pontificibus fuissent executæ, sine dubio credendum, & tenendum est licitū, & validū esse exercitiū deponēdi Imperatores, & Reges: nā ex hac multiplicatione depositionū vi-

videtur inducta, quædam consuetudo, quæ Ius facit in similibus negotijs, *L. de Quibus. L. Si de Interpr. L. Minime sunt mutanda. L. In ambiguitat.* 38. *D. de Legibus.* Gloss. *fin. in L. Nemo, C. de Sentent. & interloc.* quod tradit Palac. Rub. in tract. *de Obtent Reg. Nauarr.* 5. p. § 2. in fine.

104 Vt hoc firmum habeat stabilimentum, noto cum Marta *de Iurisdict.* 1. p. cap. 12. n. 3. & 4. hoc esse validum argumentum: *Hoc fecit Ecclesia: ergo licite fieri potest*: hac ratione vtitur P. Aug. epist. 118. ad Ianuarium, ibi. *Si quid horum per Orbē frequentat Ecclesia, quid ita faciendum est, disputaret, insolentissimæ insaniæ est.* Et Innocentius 3. in cap. *per Venerabilem* in princip. vers. *Quod autem, qui filij sint legitimi*, inde deducit, & recte Sedem Apostolicam habere Potestatem dispensandi cum illegitimis, & adulterinis, tam ad spiritualia, quàm ad tēporalia, quia illud diuersis causis maturè inspectis sæpe fecerunt Pontifices. Eodem argumento vtitur D. Thomas, & Rutil Benzon lib. 2. *de Anno Iubilæi* cap. 21. pag. 142. ad conuincendos hæreticos, qui negant Pontifices posse Iubilæos, & Indulgentias concedere; nam inquit, Pontificum vsus, qui per tot annos eas vniformiter concesserunt, absque dubio probat in Ecclesia hanc Potestatem. Lesius lib. 2. *de Iustitia, & Iure* cap. 37. num. 3. vers. 4. eodem vtitur contra hæreticos argumento. Ecclesia inuocat Sanctos, & à Deo præses fundit: ergo possunt inuocari, & contra D. Thomam 2. 2. q. 88. art. 11. asserentem non posse Ecclesiam cum Monarchis dispensare ad contrahendum matrimonium ratione

voti

voti Religionis, & Castitatis, Card. Caietanus constāter tenet posse hoc argumento conuictus: *Ecclesia sæpe huiusmodi dispensationes concessit: ergo posse dispensare euidēter Catholicis cōstat.* Hoc eodē in præsenti vtimur argumento. sæpe Ecclesia deposuit Imperatores, & Reges: ergo euidens est habere Potestatem deponendi Imperatores, & Reges.

105 Huic argumento ex pluribus principijs vtriusque Iuris DD. multum defferre solent. Tū quia semper præsumendum est pro his quæ diù in Ecclesia agitata sunt cap. *Constitutus*, vbi Abbas de *Relig. domib.* & vt Valdes notabiliter inquit in L. *Quicumque C. de seruit. fugitiu* notabili 4. Id quod cōsuetum est fieri, non dicitur arbitrarium, sed necessariam; Tum, quia à solitis, seu consuetis dessumitur Ius, & tanto efficatius est, quanto consuetudo est antiquior, vniuersalior, aut à magnis viris introducta, vt cōstat in L. *Certi cōditio 9. § Si numi D. si certe petat.* vt docent cōmuniter Iuris Ciuilis, & Canonici DD. est enim praxis vera legum Interpres, vt ait Valdes in cap. 1. n. 2. *de Feud.* sine culp. non amitten. & obseruantia subsecuta, & vniformiter continuata, Ius æquale, ac lex ipsa constituit *L. De quibus D. de Legib. L. Nulli 3. quod cuius quæ Vniuers. nom. L. Prohibere 3. § Si quis D. Quod vi, aut clam. L. Obseruare 4. §. 5. D. de offic. Proconsul.* est namque consuetudo non minus, quam lex custodienda L. 1. C. *Quæ sit longa consuetudo* ibi: *Nam, & consuetudo præcedens, & ratio, quæ consuetudinem suasit, custodienda est, & nè quid contra longam consuetudinem fiat, ad solicitudinem suam reuocabit præses Prouinciæ.* Creditur enim à titulo

præcedenti, ac sufficienti fluxisse ita, vt dispositis censeatur, quod fuit obseruatum L. *Quædam mulier D. de rei vindicatione L. Si à te D. si seru. vend. L. prædia D. de Adquir. possess.* & dubietas, vel opinionum diuersitas ex euentu, & obseruatione subsecuta optime declaratur, ita vt deinceps illa sit tenenda, quæ fuit obseruata, non obstante Iuris dispositione. L. 1. *Circa fin. C. de imponen. Lucat de script.* lib. 10. ibi: *à primordio enim tituli posterior firmatur euentus. L. Sed et Iulianus § Penultimo D. ad Macedon. L. Si seru. plurimũ § fin D de Legatis* 1. *L. Constitutionibus in fine, D. ad municipal. ibi: cui consequens, vt ne in futurum à forma obseruata recedatur. L. Minime, & L. Si interpretatione, & L. in ambiguitatibus, D. de Legib.* cum pluribus alijs Iuribus notatis à DD. in cap. *cum dilectus de Consuetudine*, & à DD. relatis à Solorzano lib. 2. *de Iure Ind.* c. 24.

106. Tum, quia consuetudo, & obseruantia adhuc in materia alienationis magnam vim habet, ex quo communiter DD. deducunt Reges, Varones, aut Ecclesiæ Prælatos, quia iuxta consuetudinem contrahunt, vel alienant, vel in feudum concedunt, recte facere, & impediri non posse cap. 1. *Vbi omnes, qui feud. dare possint*. Gloss. & DD. in cap. 2. de feud. Gloss. in cap. 2. 24. q. 1. Tum, quia integrum Iudicium est, quod plurimorum sententijs confirmatur, cap. *Prudentiæ* 21. *de offic. Delegat.* cap. *Licet causam de Probat.* cap. *Extra conscientiam* 64. dist. & quod à pluribus sapientibus quæritur, facilius inuenitur cap. *de quibus* dist. 20. Tum, quia Pontificis dignitas, & sapientià maxima, & potentissima est,

eius

eius factis, & decisionibus non solum stare debemus, sed secure assentiri tenemur, quia ardua, dubia, & grauia negotia, qualia sunt depositio Regis nunquam sine Illustr. Cardinalium, & Sapientissimorũ Virorum consilio Pontifex declarare solet, quos ad hoc tanquam coadjutores assumit cap. *Per venerabilem*, § *Sunt autem, qui filij sint legitimi*, cap. *Fundamenta, de electione* lib. 6. Quod etiam firmasse videtur Ecclesiastes cap. 12. vers. 11. ibi: *Verba sapientũ. quasi stimuli, & quasi claui in altum defixi, quæ per Magistrorum consilium data sunt à Pastore vno.* Vt aduertit Bellarm. tom. 1. controuers. lib. 3. cap. 4. Pineda in Comentar. super Ecclesiastes ad illum locum n. vltimo pag. 1204. specialem Dei asistentiam omnibus illis impertiri in his grauioribus consultationibus, & decisionibus Romani Pontificis probat satis Thomas Bozius lib. 6. de sign. Eccles. c. 8.

107 Pontifex in depositionibus Imperatorum, & Regum matura semper procedit consultatione, ideoque in depositionibus frequenter vtitur hoc verbo: *Ex certa scientia*, quæ clausula denotat Pontificem esse certum de omnibus, quæ conducere possunt ad talis depositionis causam; alias non diceret, ex certa scientia, sed per ignorantiam, & sine cognitione, cap. *Nihil de elect.* cap. *Pastoralis* § *Præterea de offic. Delegat.* cap. *Cum olim de sent. & re iudic.* L. 1. C. *Si seru. aut libertus ad Decurionat.* cum pluribus alijs adductis à Vitali de Cambanis in tract. clausularum pag. 23. Similiter etiam Pontifex, cum deponit Reges, vtitur clausula *de Plenitudine potestatis*, qua numquam Pōtifex vtitur, nisi cum causæ cog-

nitione,& cum plenissime de negotio est informatus,vt tradit Molina *de Primogenijs* cap.7.num.26. & Martha *de Clausulis* 1.p. claus. 259. num.13.& 14. Ex quibus recte constat firmissimam in Pontifice Potestatem deponendi Imperatores, & Reges statuere debere. Quod autem non possit creare Regalem, aut Ducalem dignitatem (præterquam quod in Patrimonio Ecclesiæ falsum est) solum est intelligendú, vbi nouus titulus Marchionis, aut Ducis nullatenus ad aliquid spirituale conducit,& ita non potest tunc nominare Regem Auisinorum, alium statuere Regem Andabatarum, alium Chinorum, quia talia nomina,& titularia ornamenta ad spiritualem finem minime conducere possunt.

108 Ad cap.*Adrianus*,& cap.*in Synodo* dist. 63.respondeo 1.cum Card.Baronio in annal.Ecclesiæ tom.9.anno Christi 774.num.10.& anno 964 à num.22.Card. Bellarm.in Apologia pro responsione sua ad lib.Regis Angliæ cap.6.in tom.7.col. 737.P.Suarez *in desens.Fidei contra Sectam Anglic.* lib.3.cap.29.n.7.pag.mihi 365. à veritate omnino alienum esse,quod de prædicta concessione reffertur in cap.*Adrianus*,& in c.*in Synodo* sequenti, quod euidentissimis conuincunt argumentis. Sigebertus namque Monachus in suis historijs,quas anno 1112. scripsit, post Caroli M.exitum 342. fraudulenter, nimisque dolose hanc fabulam cōfinxit,& suis scriptis intexuit in gratiam Henrici Imperatoris Schismatici,cuius partes impensè fouebat,qui tale priuilegium desiderabat,vt qualis,qualis quantumcumque commentitius provulgaretur titulus,quo aduer-

sus

ſus Papam ſchiſmaticus Imperator Iure agere videri poſſet. Hanc impoſturam nullatenus aduertens Gratianus, eam ſuæ rapſodiæ decretorum imprudẽter inſeruit, alijs occaſsionem præbens credendi verum fuiſſe, quod à Sigeberto fuit mendaciſsime affirmatum, tantum enim ab fuit, vt Carolus M. ſibi arrogare voluerit Sedem Apoſtolicam ordinare, vt ſuo potius promulgato decreto non ſolum Pontificis, verum etiam localium Epiſcoporum electiones liberas eſſe ſtatueret, & iuxta Sacrorum Canonum ſtatuta, vt conſtat ex capitularibus, quæ ipſe collegit lib. 1. cap. 84. & habetur apud Gratianum in cap. Sacrorum 34. diſt. 63. cuius hæc ſunt verba: *Sacrorum Canonum non ignari, vt Dei nomine Sancta Eccleſia ſuo liberius potiretur honore: aſſenſum ordini Eccleſiaſtico præbuimus, vt ſcilicet Epiſcopi per electionem Clericorum, & Populi ſecundum ſtatuta Canonum de propria Diœceſi remota perſonarum, & munerum acceptione ob vitæ meritum, & ſapientiæ donum eligãtur, vt exemplo, & verbo ſibi ſubiectis vſque quaque prodeſſe valeant*. Qui enim ita libere ſtatuit Epiſcoporũ electiones, multo magis Summi Pontificis independẽtem electionem veneraretur.

109 Reſpondeo 2. ſine præiudicio veritatis, concedamus, quod tunc Eccleſia, quia magnis, & continuatis vexabatur Longobardorum perturbationibus, ſe Caroli M. protectioni ſubmiſsit, & ei eligendi Pontificem, ordinandique Sedem Apoſtolicam authoritatem detulerit, tamen ob hoc Pontifex, Sedeſque Romana Ius ſuæ prælationis, & Iuriſdictionis non amiſsit, ſed potius Caroli M. pieta-

te,& protectione mediante Ius Ecclesiæ conseruare studuit. Hoc idem Imperator clare fatetur, dum dixit: *In memoriam B. Petri honoremus S.R. & Apostolicam Sedem, vt quæ nobis Sacerdotalis mater est dignitatis, esse debeat magistra Ecclesiasticæ rationis. Quare seruanda est cum mansuetudine humilitas, vt licet vix ferendum ab illa Sancta Sede Imponatur Iugum, tamen feramus, & pia deuotione tolleremus.* Quæ verba ex capitulis Caroli M. reffert Gratianus in cap. 3. dist. 19. & Naucle rus volum. 2. gener. 28. affirmat esse vnum ex 23. capitulis à Carolo M. ad subditos suos missis, & receptum est à Patribus in Concilio Triburiensi Canone 30. vnde dixit Symachus Pontifex in 6. Synodo Romana: *Non licet Imperatori, vel cuiquam pietatem custodienti quodpiam, quod Apostolicis regulis obuiet agere,* vt reffert Gratianus in c. 2. dist. 10. Vbi fære eandem verba adducit ex Calixto, Marcelino, & Adriano Papa. Immo idē Adrianus relatus à Gratiano in c. generali 25. q. 1. inquit: *Generali Decreto constituimus, vt execrandum anathema sit, & veluti prævaricator Catholicæ fidei semper apud Deū reus existat, quicumque Regum, vel potentum deinceps Romanorum* Pontificum *decretorum censuram in quocumque crediderit, vel permisserit violandam.* Qua propter Ludouicus Pius, Caroli M. in Regno, & Imperio successor rebus Ecclesiæ in debita reuerentia, & Maiestate constitutis eidem priuilegio renuntiauit in persona Paschalis 1. vt patet in cap. ego Ludouicus 63. dist. & tradit Ioannes de Selua de *Benefic.* 2. p. q. 23 n. 31. Cenedus Collect. 64. ad Decretum n. 1.

110 Quod luculenter demonstrat D. Pe-

trus

trus Damianus, opusc. 4. talem confirmationem Imperatoris nullo modo requiri, ait enim, etenim ob varietatem temporum semper mutandus est ordo causarum; tunc enim, quando Pontificem Romana sibi perfecit Ecclesia, tantæ simultatis fomes in seditionem ciues accenderat, tantus libor, & odium tumultuantis Populi corda turbauerat, vt de tam longinquis terrarum spatijs, nequaquam Regiæ clementiæ præstolari possemus oraculum; nisi enim quanto citius ordinaretur Antistes, perniciosus in Populo gladius mutuis vulneribus desæviret, & non parua Romanorum civium strages fieret. Et contra aduocatum Regis dicentis Christianos Principes semper Romanos elegisse Pontifices, sic in persona defensoris Ecclesiæ Romanæ alloquitur. *Qui mentitur in communi colloquio, mendax dicitur, qui autem in præsentia venerabilium Sacerdotum falsa protulerit, sacrilegij proculdubio crimē incurrit. Dixisti Christianos Principes Romanos semper elegisse Pontifices, percurre mecū Ecclesiasticæ antiquitatis historias, Romanorum* Præsu*lum Catalogum studiose disquire: & cum per paucis inueneris in electione sua Regium accessisse consensum, confitere te perspicuum protulisse mendatium. Quis enim Rex, Antonij filium Damasum Hispanensem? Quis Innocentium Innocentij filium Albanensem? Quis denique Zosimum, Græcum Ebramij Filium elegit? Quis præterea Leonem Quintiani filium de Tuscia? Quis Hilariū Chispini filium de Sardinia? Quis Cœlestinum* Prisci *Romani Ciuis filium? Quis Bonifacium, quis Anastasium æque Romanos? Denique multos attexerem, nisi fastidiū generarem: Sed ne me putes non habentem copiam, ab*

eorum enumeratione deficere; quis Imperatorē elegit Simplicium Tiburtinum? Felicem natione Romanum? Quis Gelasium Afrum Valerij filium? Quis Symachum Sardiniæ Prouinciæ filium Fortunati? Quis Hormisdam filium Iusti natione Campanum, Ioannem origine Tuscum, Felicem natione Samnitem, Bonifacium Sigibaldi filium, Mercurium Proiecti, Agapitum Gordiani natura Romanos? Quis enim Regum electioni cuiuslibet istorum suum legitur adhibuisse consensum? Cum eorum temporibus Romanæ Reipublicæ Christiani Principes præfuisse legantur, idest, Valentinianus senior, Valens frater eius, qui occissus est in pugna Gothica propè Adrianopolim; Gratianus, qui à Maximo Tyrano peremptus est; Valentinianus Iunior, qui necatus est à Comite suo Viennæ; deinde Arcadius, Honorius, Theodosius, Ioannes ille, qui apud Rauennā occissus est; Valentinianus tertius, qui in cāpo Martio est peremptus; Martianus, Leo, Maiorianus, Severus, Anthemius Olybrius, Glycerius, Zeno, nepos ille, qui in Villa sua occissus est iuxta Salonas, Augustulus, Anastasius, Iustinus, & cæteri Romani Imperatores, quos vitandi laciniosi stili causa prætereo. Da mihi ergo eorum, quos enumeravimus, aliquem, vel Præsulem requirentem, vel Principem assensum in electione præbentem: & ego do manum, ac te perhibeo laureādum: alioquin si dare non poteris, in hoc te convictum per omnia necesse est, fatearis. Quod autem B. Gregorio legitur adhibuisse Mauritius Imperator assensum, & per pauci alij Principes, alijs promovendis hoc dictauit perturbatio temporum, & tempestas horrenda bellorum.

111 Et infrà: *Vt autem id ipsum adhuc manifestius pateat, & te super hac dimicandi materia per-*

didiße

didisse, tibimet ipsi clarius innotescat; lege Constantini Imperatoris edictum, Ubi Sedis Apostolicæ constituit super omnes in Orbe terrarum Ecclesias principatum. Nam postquam supra corpus B. Petri Basilicam fundator erexit, postquam Patriarchium Lateranense in B. Saluatoris honorem construxit, mox per Imperialis rescripti seriem Romanæ Ecclesiæ constituit dignitatem. ubi nimirũ B Silvestro, suisque Successoribus obtulit, ut regali more, & aurea corona plecterentur in capite, & cæteras Regij cultus infulas usurparent. Verum B. Siluester ornamenta, quæ Sacerdotali congruere iudicabat officio, in proprios usus assumpsit: coronam vero, vel cætera, quæ magis ambitiosa, quam mistica videbantur, omisit. Cui etiam Constantinus Lateranense Palatium, quod eatenus aula regalis extiterat, perpetuo Iure concessit, Regnũ Italiæ Iudicandum tradidit. Nam & ipsius Regis hæc verba sunt: unde cõgruum, inquit, prospeximus nostrum Imperium, & Regni Potestatem Orientalibus transferri, ac transmutari Regionibus, & in Bizantia Prouincia, in optimo loco nomini nostro, Ciuitatem ædificari, & nostrum illic constitui Imperium, quoniam ubi Principatus Sacerdotum, & Christianæ Religionis caput ab Imperatore cælesti constitutum est, iustum non est, ut illic Imperator terrenus habeat potestatem. Audisti, quia terrenus Imperator non habet in Romana Ecclesia potestatem: quo modo ergo sine illius arbitrio, qui ibi potestatẽ non habet, non licet eligi Sacerdotem? Ipse vero Constantinopolim, velut in secunda Roma, perpetuo regnaturus abscessit. Longe vero post Theodosius Imperator B. Pauli Basilicam cœpit, quo defuncto filius eius Honorius eandem Basilicam ad calcem usque perduxit. Hi quoque

Romanæ Ecclesiæ priuilegium nihilominus firmauerunt. Quo modo ergo prærogatiuam sibi in Romani Pontificis electione relinquerent, qui Romanam Ecclesiam nequaquam sibi studuerunt subdere, sed præferre? Non præcipere, sed parere? Non præcellere, sed subesse?

112 Ad c. Matthæi 17. respondeo, quod licet Christus omnium habeat plenum, perfectissimumque dominium, tributum tamen Imperatori soluit, ne in scandalum inducerentur ignorantes, vt habetur cap. Iam nunc 28. q. 1. Quod facere potuit, quia soluere tributum est inditium, non vero probatio inferioritatis, & Christus D. plurima humilitatis in exemplum nobis apposuit testimonia, vt cum Tyrannice Ecclesia cogeretur, quæ libera est, tributum soluens serua videretur. Quod clare demonstratur, Christus namque Dominus erat verus Dominus Imperatorum, & Regum, cum omnium Deus esset, & tamen tributum soluit: ergo ex eo, quod necessitate coacta, vel tyranice Ecclesia sit tributaria non licet colligere illam Imperatoribus inferiorem, & subiectam, sed retinere cum humilitate, & inferioritate nouam superioritatis laureolam in humilitatis fundamento firmatam.

113 Ad cap. Si *duobus de appellat.* iam dixi num. 48. & 66. posse à Rege ad Papam appellari, modo dico ibi affirmare de consuetudine teneri, quod quidem fundat Ius, & secundum Iuris rigorem credimus non tenere in causis, scilicet, notorietate facti comprobatis, vel vbi adest sæcularis Iudex potens primum sententiam recognoscere, & illius Iustitiam iudicare, & in his casibus secundum iuris rigorem

rigorem non videtur appellatio recta: eo modo, quo D. Augustinus, & D. Cyprianus docent in aliquibus causis Ecclesiasticis non esse ad Papam appellandum; quia secura probatio, notorietas facti, aut libera delictorum confessio debet Iudicari ab Episcopo, sine appellationis interpositione, cum appellatio tunc solum tendat ad differendam executionem sententiæ, & pœnam delicti, & ita secundum Iuris rigorem tunc non tenet appellatio: eodem modo debet de Iudice Laico intelligi: quia appellatio ad Papã, vbi adest sæcularis Iudex superior, de cuius prudẽtia, & iudicio minime dubitatur, est animo propalato dilatationis executionis sententiæ, & vt si forte contingat quod tempore interiecto alibi non accussetur; & in his cafsibus optime dicit secundum iuris rigorem non tenere. Hoc tamen accidere non potest in Regibus nullum superiorem agnoscentibus præter Pontificem, vbi necesse est secundum iuris rigorem appellationem valere.

114 Ad vltimum de appellatione à Papa ad Regem via iuris tuitiui protegẽtis Vasallos, vim, & molestiam ministrorum Ecclesiæ impedituri, Iurisque naturalis conseruatiui, est duplex sententia: Prima asserit, quod prohibiti sunt recursus ad Regia Tribunalia per viam violentiæ in causis Ecclesiasticis, praximque nostræ Regni Hispaniæ irrationalem, iniustam, ac Sacris Canonibus aduersam profitentur, ita relati à Barbosa in cap. *Ecclesiæ Sanctæ Mariæ* de constitutionibus à n. 7. quod primo probant ex tex. in cap. *Cõtinua* 5. §. *Constantinus* 11. q. 1. Vbi Constantinus noluit audire Episcoporum accu-

sa-

ſationes. Secundo ex tex. in cap. *Clerici* 8. & ex tex. in cap. *Qualiter, & quando* 17. *de Iudicijs*, vbi omnino prohibetur, quod clericorum cauſæ apud ſæculares tractentur. Tertio ab abſurdo probant ex eo, quod ſi hæc praxis licita eſſet, poſſet Regium tribunal compellere Eccleſiaſticum, vt excommunicatũ abſolueret, vt acta remitteret, & poſtea obligare, vt determinaret; quo in caſſu Eccleſiaſticus eſſet merus executor, quod prohibitum repetitur in Concilio Tridentino ſeſſ. 25. *de Refformat.* cap. 2. Quarto, vſus compellendi Eccleſiaſticos, vt ceſſent ab executione, quando agitur de execuendo Sedis Apoſtolicæ mandato, eſt impedire prædictum mandatũ; ſed impedientes mandata Apoſtolica ſunt excommunicati cenſuris poſitis in Bulla in cena Domini caſſu 14. ibi: *Etiam prætextu violentiæ prohibendæ.*

115 Secundam ſententiam, eamque contratiam, vt in vno plures DD. refferam, tuetur Salgadus *de Regia Protectione* p. 1 cap. 1. per totum cum quinque Præludijs, & cap. 2. cuius præcipuæ rationes hoc ſyllogiſmo demonſtrantur: Princeps tenetur habere Rempublicam ſibi ſubiectam bene gubernatam, ac per conſequens protegere, tutelari, & defendere ſubditos vi opreſſos: hanc propoſitionem probat ex Soto *de Iuſtit. & Iure* lib. 1. art. 7. q. 6. Ex Suar. *de Legib.* lib. 3. c. 35. & ex c. 26. Iob ibi: *Cõterebã molas iniqui, & de dentibus illius offerebam prædam.* Et ex cap. 2. Prouerb. & ex tex. in cap Regum officiũ 23. q. 5. ibi: *Regum officium eſt proprium facere Iudiciũ, & Iuſtitiam, & liberare vi opræſos de manu calumniatorum.* Rex enim eſt Tutor, Protector, ac Patronus

om-

omnium subditorum, vt ait Seneca lib. 1. de *Clementia*, cap. 4. ad Neronem; & hanc defensionem esse propriam iuris naturalis probat Salgado p. 1. cap. 2. num. 9. Sed Clerici sunt membra, & partes reipublicæ temporalis Regis, vt probatur ex text. in cap. de his 13. 12. dist. Vbi appellatione Ciuium veniunt Clerici; & tanquam ciues fruuntur Pasquis, & nemoribus, quibus cæteri Ciues, vt tradit Albericus in l. 1. D. quod cuiusquæ vniuersitatis. Hac que ratione Episcopi in Hispania præstant Iuramentum fidelitatis Catholico nostro Regi in signum Vasallagij, atque agnitionem dominij, vt tradit Valasceus consultat. 100. n. fin. quæ quidem Regalis Potestas optime comprobatur ex D. Isidoro lib. 3. sentent. c. 51. ibi: *Cognoscant Principes sæculi Deo debere rationem reddere propter Ecclesiam, quam à Christo tuēdam suscipiunt, nam sibi augeatur pax, & disciplina Ecclesiæ per fideles Principes, siue soluatur, ille ab ēis rationē exiget, quia eorum potestati suam Ecclesiam tradidit.* Ergo ex vi huius protectiuæ, & tuitiuæ iurisdictionis potest Rex defendere, ac protegere Clericos vi opræssos, ad quod fere semper necessarium est, vt processus transportetur in Regiū Senatū; ac per consequēs hæc praxis licita est. Hanc quidē consequentiam ex his præmissis deducit Salzedo lib. 1. c. 7. per totum, & §. 1. & c. 8. etiamque ad hanc opinionem per retractationem accedit Barbosa in votis decisiuis lib. 1. voto 48. per totum, post longam, accuratamque disputationem habitam cum D. Ioseph Gonzalez & D. Ludouico Budiel de Peralta Regalibus Senatoribus.

Fa-

116 Fateor obiter, quod licet hæc speculatiue probabili veritate gaudeant, tamen latissima, aut abusiua tolerata praxis nimis periculosa à viris Doctis, timoratis Iudicatur, silentibus tamẽ (nescio, an adulatione fraudulenti, an timore seruili) Euangelica enim charitate breuiter dicam, quod veritati consonum consulto existimaui. Licite potest Princeps, aut sæcularis Iudex in notorietate, morali certitudine, aut saltim prudenti iudicio violentiæ suam interponere authoritatem, non per modum Iudicij, & sententiæ in re Ecclesiastica, aut in violentia à Iudice Ecclesiastico illata, sed tantum protegentem, & patrocinantem authoritatem Principis, vt Iudex Ecclesiasticus semel, & iterum suam deliberatè consultans sententiam, stet mature iuri suo, & nullam violentiam Regnicolis inferat, solumque in hoc casu vim vi repellere licet. Aliter ratione iuris tuitiui protectionis naturalis, esset confusio sæcularis, & Ecclesiastici Iudicij: potiorique titulo posset Pontifex, vel Episcopus suæ ovis curam habens in decretis, & sententijs Iudicis sęcularis, etiamque ipsius Principis tractare, & introspicere, an suę ovi inferatur violentia? Iureque naturali, & tuitiuo non permittere executionem sententiæ Principis: non enim in maiori gradu reperitur Ius naturale in Principe, quam in Papa, vel Episcopo, immo protectio facilius in Principe Ecclesiastico experitur, quam in sæculari, cum Pontifex sit verus Pater, & Pastor: ergo si ratione protectionis, & Iuris naturalis potest Princeps, & Iudex sæcularis se intromittere in Ecclesiasticas sententias, æquali saltim Iure poterit Iudex

dex Ecclesiasticus in sæcularibus sententijs suam interponere authoritatem, vsque dum constet nullã suæ oui inferri violentiam, & ita sub pæna excommunicationis præcipere, ne Principis sententia executioni mandetur.

117 Accedit, quod magis Iuri consonum videtur ad debitum exequendum Iudicium reccurrere ad Episcopos cum Iudice sæculari conuenientes, vt laicus Iudex violentiam non inferat, quam è contra, vt mature ordinauit Iustinianus in Autent. vt differentes Iudices. § *Si vero contingerit*, & §. *Si vero hæc collat.* 9. ibi: *Iubemus eos, qui habent causas adire defensorem, & si voluerint, vt cum Episcopo Iudicet, & hoc agi præcipimus.*

118 Præterea ratio probans iuxta Salgadum in Principe talem Potestatem, conuinceret etiã in Pontifice, & Episcopo (pro comperto namque habeo posse in omnibus causis recurri ad Pontificẽ, tamen ratio etiam ad Episcopos probat) Nam Põtifex, vel Episcopus tenetur habere Orbem Christianum, vel Diœcesim bene in spiritualibus gubernatam, & ita protegere, & defendere subditos vi temporali opræsos, spiritualem ordinem peruententi, & fære semper radicitus euelenti, ideoque erit Tutor, Protector, & Patronus suorum filiorum, & subditorum; sed quilibet Laicus est subditus Pontifici, & Episcopo in spiritualibus: ergo, &c. Superiora nãque sine violentia magnetum ad se inferiora trahũt, vtpote quia naturali Iure inferiora superioribus subijciuntur; at vero inferiora nimis dure, violenter, & contra naturale Ius deprimunt superiora illa sub se

opri-

optimentia: sed Potestas spiritualis est Superior, & Regia inferior: ergo facilius, suauitateq; rationis poterit Ecclesiastica, aut spiritualis Potestas sub proprio Iudicio depræhendere Regiam inferiorem, & de illa iudicare; nimis vero dure, ac contra naturæ ordinem sæcularem potestatem de Ecclesiasticis aliquo quæsito colore Iudicium ferre: nisi rebellio carnis in spiritum inter has Potestates refundatur, quo exemplo illustrari valet nostra ratio, vt recte deducitur ex Bulla Martini 5. incipiente ad reprobandas insolentias data Romæ Kalendis Februarij anno 11. sui Pontificatus.

119 Ex fundamento Salgadi, non solum hoc colligitur, sed etiam quod Dominus particularis alicuius loci, immo, & Iudex ordinarius in decissionibus Supremi Senatus Regalis, & in sententijs Regis posset ratione Iuris tuitiui specialiter illi loco applicati videre, an inferatur violētia domiciliario sui loci, quia de Iure naturali habet illum specialiter protegere: sicut enim Rex est vniuersalis Protector Regni, ita Dominus, vel Iudex particularis est particularis Protector sui loci: ergo poterit de sententijs Regis sine Iudicio formare Iudicium, an sit deponenda sententia, an incolæ illius loci fiat violētia, an sit admittenda appellatio, quod esset omni Iure nimis durum, circulusque Iudicialis, vtpote maiestati iniuriosus, vitandus. Si temporum tamen infoelicitate iniurias Principum, sæculariumque Iudicum Laici, sine recursu violentiæ sustinere tenentur, Deo traditi saltim Ecclesiasticorum Iudicum quandoque minus Iustas sententias patiēter propter Deū

fe-

ferant, vt totus non confundatur, aut deprauetur ordo.

120 Ex abusu non ex rectitudine huius Iudicij, ne dicam, quod de pragmatica Sanctione Gallica edita in Basiliensi Concilio Nonis Iulij Anno 1438. à Rege Carolo approbata, & in Senatu Parisiensi publicata reffert Petrus Mattheus Gallus in Summa Constitutionum de Leone X. loquens fol. mihi 204. postquam enim de Profanis, & iniquis illis constitutionibus loquitur, ita habet. *Ob hanc legẽ Prælati Galliarum, qui se futuros liberos arbitrabãtur, in seruitutem maximam redacti, & quasi Laicorum mãcipia facti, coacti sunt in Parlamento Franciæ de singulis causis respondere: beneficia, vel Regis, vel aliorũ Principum potentum nobilium arbitrio conferre. Si quos pro malefactis condemnassent, his pœnam remittere, excommunicatos absque satisfactione absoluere; nulla censurarum apud eos libera facultas mansit. De causis Episcopalibus, & Metropoliticis Ecclesijs, de Matrimonijs, de Hæresi in Parlamento cognouerunt. Ecclesiastica prædia, bonaque omnia Clericorum leuibus de causis ex Decreto sæcularis Iudicis arrestata patuerunt laicis, & multas in hunc modum impietates, Sacrilegia, hæreses, & inepsias Pragmatica Sanctio peperit, quæ à Rege, aut Iusa fuerunt, aut permissa, illis potissimum temporibus, vbi omnia viribus relicto Iure fiebant.* Quæ licet vsque nunc secuta non fuerint in Hispania, certo debẽt præcaueri, cum sicut zizania crescat huius Iurisdictionis extensio.

121 Pro abolenda tamen pragmatica Sanctione Gallica refferre necesse existimaui Epistolam

lam Ludouici 11. post solita illa animi obsequentis, & deuoti in Sedem Romanam inditia, quæ in ipso limine Epistolarũ ad Summos Pontifices mitti solent, tenore hoc verborum circunscribitur: *Beatissime Pater: Omnibus victimis potiorem obedientiã intelligentes assensimus his, quæ tuo nomine nobis aperta sunt, ipsam scilicet pragmaticam Sanctionem, tibi, tuæque Sedi esse infensam, vtpote quæ in Seditione, & schismatis tempore, atque per seditionem, sectionis à tua sede figuram, mota sit: & quæ dum tibi, à quo Sacræ leges oriuntur, & manant, quam tam libet eripit authoritatem, omne Ius, & omnem legem dissoluit. Illud enim exoritur, quod idem Consiliarius in nomine tuæ Sanctitatis astruxit, vt dum per pragmaticam sanctionem ipsam summa in Ecclesia tuæ Sanctitatis authoritas minuitur, dum Prælatis in Regno nostro quoddam licentiæ templũ præstuitur, dum congruens vnitas ad alia Regna, conformitasque tolli videtur, abroganda sit ipsa pragmatica, tollendaque à Regno nostro, quippe quæ aduersus tuam sedem, omnium Ecclesiarum Matronam, ab inferioribus Prælatis lata sit, tanquam vt scriptura loquitur: quomodo si eleuetur virga contra leuantem se, aut baculus, qui vtique lignum est: quidquid Beatissime Pater, licet plerique docti homines confutare niterentur, atque diluere, multaque nos dehortarentur abrogare Sanctionem ipsam, te tamen Principem totius Ecclesiæ, Antistitem Sacrorum, te dominici gregis Pastorem profitemur, & scimus, te que iuuentem sequimur, tibi, & Beatissimi Petri Cathedræ consentimus, & iniungimur. Itaque sicut mandasti, pragmaticam ipsam à Regno nostro, nostroque Vienensi Delphinatu, omni ditione nostra per præsentes pellimus*

mus, deijcimus, penitusque abrogamus, & quam qualemve ante pragmaticæ ipsius editionem, circa Ecclesiarũ Beneficiorum, aliarumque rerum spiritualium dispositionẽ, censuram, moderationem in Regno nostro, omnique ditione nostra, tui prædecessores Martinus V. & Eugenius IV. Romani Pontifices habebant, & exercebant, talem, eandemque nostro adiutorio B. Petro, tibique ipsius successori reddimus, præstamus, & restituimus, cum Summo Imperio, cum Iudicio libero, cum Potestate non coarctata. Tu enim cum scias, quid authoritate diuinitus tibi tradita possis, quas pro Regni nostri, & Ecclesiarum in eo tranquilitate postulabimus, non negliges res necessarias: poterisque semper, quod oportunum fuerit, Iudicare. Vtere igitur deinceps in Regno nostro Potestate tua, vt voles, atque illam exerce. Nam vt hominum membra nulla contentione, capite vno, atque vna mente ducuntur, sic tuis Sacris Decretis Ecclesiæ Prælati in Regno nostro, & Delphinatu consonantiam, & obedientiam plenam refundent. Quod si forte obnitentur aliqui, aut reclamabunt, nos in Verbo Regio pollicemur tuæ Beatitudini, atque promittimus exequi facere tua mandata, omni appellationis, aut oppositionis obstaculo prorsus exclusio, eosque, qui tibi contumaces fuerint, pro tuo Iussu comprimemus, & refrenabimus. Data Turonis sub magno sigillo nostro, die 27 Mensis Nouembris, anno Domini 1461. & Regni nostri primo.

122 Pro violentijs quandoque existimatis Iudicis Ecclesiastici tot sunt recursus ad Regia Tribunalia, vt in illis maior tẽporis pars in hoc impendatur, at pro notorijs violentijs Laicorum Iudicum non datur recursus ad aliquod formatum Tri-

bunal sine violentia Iudicans: non enim Iudices Laici sunt in gratia bene Iudicandi confirmati, æqualiter saltim pro naturæ conditione in mala labuntur, poteruntque sicut Ecclesiastici violentiam inferre, immo vi manifestà Iudicem Ecclesiasticum opprimere, dum declarant ipsum sua sentẽtia Regnicolę opræsionem inferre, & ita violentiam violentissime Iudicant. Si tamen hoc in Iudicio Sæculari necesse non existimatur, quia sunt plura sæcularia tribunalia, in quibus ex vno facile potest ad aliud appellari, similiter inter Ecclesiasticos sunt plures Iudices, ex quibus facillime poterit ex vno ad alium appellari, vt ex Vicario Episcopi ad Metropolitanũ, & ex ipso ad Nuncium Sanctissimi Papæ.

123. Certum namque est, quod licet praxis sit in Hispania communis, apud alias tamen Nationes de illius Iure dubitatur. Vnde hoc Ius non est certum, firmum, & indubitatum, cum apud Catholicos, & fideles intra terminos solum probabilitatis contineatur, per modum consilij Euangelici, vt radicitus euelleretur dubitandi ratio, violentijs subditorum sine iniuria Princeps sucurrat, & non grauetur nota scrupulose, an solide à pluribus notata, Iudicatem, sine minimo dispendio Regalis authoritatis facile apponere remedium, nempe inter Regios Cõsiliarios à Principe electos designare tres Ecclesiasticos cum facultate Pontificia, vt possint de causis Ecclesiasticis via Iuris tuitiui Iudicare: Sicut pro causis Fidei sunt designati Inquisitores contra hæreticam prauitatem, in quibus pro maiori firmitate Ius Regium cum Papali solidatur. Vt quid enim tantæ du

bietati

bietati standum, cum securitati paratum, facillimũ que adhiberi possit remedium? Vt quid hæreticis fauendum, dum affirmare ausi sunt, quod si priscis Anglis *Ius* hoc veniret in mentem, nullatenus Sũmo Pontifici obedientiam negarent? Vt quid audiẽdum est, quod Hispani propter Ecclesiæ benignitatem non sunt hæretici? Vt quid sinceram, puramque obedientiam, quam in Hispania fatemur *Sũmo Præsuli*, hac *Iuris* formula denigrare videmur? Vt quid de Viris Catholicis ferendum est, quod obediunt, cum volunt, & cum nolunt, verbis dicunt obedire, sed adimplere mandatum nullatenus possunt, quia est contra *Ius* naturale, vel Regium? Constituãtur ergo à Rege nostro *Iudices*, qui sint Ecclesiastici, possintque ex facultate Apostolica, hac eadẽ omnino conseruata forma, *Iudicare* omnes causas, quæ nunc *Iure* tuitiuo à Regalibus Tribunalibus protegũtur: nullum enim *Ius* Regi præiudicatur, antiquũ, & dubium conseruatur illęsum, firmum, atque securum, sine hæreticorum nota, & cum magna lætitia Populi Christiani. Sicut Indiarum dominium plenum, & perfectum fuit ab Ecclesia Regibus nostris Ferdinando, & Elisabeth libenter concesum, vt cõstat ex Bulla Alexandri 6. incipiente *inter cætera* Romæ anno 1493. quin Ius dubiũ, quod ex acquisitione, & deuastatione habebant, tolleretur, sed solũ per illam Ius dubium, ad certum, & indubitatũ fuit cõmutatũ. Sic omnia fauste, & fœliciter Catholico Regi nostro Carolo II. euenire speramus; hoc tandẽ benedictione Pontificia executo, experientia protinus probabit euentum. Et hæc de quarta Orbis parte,

Assiaque inferiori, Superiorē im penetratā relinqui-mus, vt pote quia aliorū argumentorū Prouinciæ nobis nunc sunt incognitæ; cū tamen in publicā lucē prodierint, mente, authoritate, & ratione illarū indagabimus efficatiam, vt veritas hæc solis claritate fulgētior appareat. Diffusioni denique parcite, nā vt inquit in simili per Doctus Recentior.

Longæuam fecit discordia litem
Assimilemque iugis Loris, quæ Gordius olim
Nexuit, atque Iovis Phrygij suspendit ad Aras.

Necessitas, vtilitas, publicūque magisteriū ad hanc propalandā, & publicè docendā inconcussam veritatē coegit, vt dicebat Ovid. 3. de Pont. Eleg. vlt.

Da veniam scriptis, quorum non gloria nobis,
Causa, sed vtilitas, officiumque fuit.

Ex hac tamē elaboratione opimos, maturosq; fructus tā Theologiæ, quā Sacrorū Canonū fœliciter colliges, vt dicebat Ant. Millieu in cōmend. P. Matth.

Huc propera Lector, pueriles abijce libros,
Huc propera, & fructus (tu mihi crede) feres.

Quæ tamē in hac dissertatione diximus, sicut, & omnia nostra Apostolicę Sedi omnimodo subiecta esse volumus, sub eiusq; correctione, ita vt, si quid minus cōsonū doctrinæ Sacrę Cathedrę S. Petri dixerim, scripserim, vel cogitaverim, ex nūc damno, reprobo, & re

tracto

tracto, nihil vnquam sensurus, nisi quæ S. Mater Ecclesia sentit, nihil amplexurus, nisi quæ Romanus Pontifex tradit, nihil lecturus, nisi quæ vniuersalis Pastor docet; & cum Hieronymo concludo: *Si autem hæc nostra confesio Apostolatus tui Iudicio comprobatur, quicumque me culpare voluerit, se imperitum, vel malebolum, vel etiam non Catholicum, non me hæreticum comprobabit.*

FINIS.

APPEN-

APPENDIX NOTABILIUM IN HAC DISSERTATIONE.

PRoponitur occasio huius Dissertationis, simul que illius methodus. Num. 1.

Breuiter attingitur causa extr. Vnam sanctam, & illius species laconice refertur. 2.

Conclusio constituens in Papa temporalem Potestatem ex veteri testam. suadetur. 3.

Eadem conclusio ex nouo testam. probatur. 4.

Ex Iure Canonico colligitur. 5.

Ex PP. & aliquibus DD. præcipue ex Gallo maximæ notæ comprobatur. 6.

DD. Augustinianæ familiæ fulcitur. 7.

Ex alijs DD. exornatur. 8.

Primum proponitur contrarium argumentum, ex eo quod Christus non habuit temporalem Potestatem, & ita nec eius Vicarius. 9.

Ex PP. hoc idem suadetur. 10.

Secundum argumentum contrarium desumptũ ex diuersitate Potestatum Regiæ, & Pontificalis *Iu*re diuino comprobata. 11.

Hæc eadẽ dificultas quam pluribus augetur Iuribus. 12.

Tertium contrarium argumentum petitum ex Potestate temporali à Deo immediate sine Ecclesię interuentu Imperatori, & Regibus concessa. 13.

Roboratur hoc idem, tum ex eo, quod Sũmus Põtifex nequit Reges Regali dignitate priuare, tũ quia Summus Pontifex fuit per Imperatores creatus, tribu-

bi tum que Imperatori soluit, tum quia à Rege nequit ad Papam appellari, à Papa autem ad Regem Iure naturali, aut tuitiuo appellatur. 14.

Primum notabile. Donatio Romæ Silvestro, & aliarum Prouinciarũ Gregorio refertur, vbi hæreticorum figmentum proponitur, & refellitur, statuitur, quo modo sanctè diuitijs Ecclesia vtatur. 15.

Firmatur, quod Papà consecratur vt Sacerdos, & diadematur, vt Rex, & quomodo Summus Pontifex solus Papa nunc dicatur. 16.

Potestatis Pontificiç Sybillæ mentionem fecerunt, vt videre est in Virgilio. 17.

Speciosus locus P. Augustini ad probandam in Papa potestatem temporalem. 18.

B. Ignatij dictum suadet temporalem Papæ iurisdictionem. 19.

Hæc eadem temporalis potestas explanat D. Bernardus. 20.

Idem suadet Petrus Blesiensis. 21.

Pro omnibus Scholasticis idem probat D. Thomas, & Scotus, quibus addo Hẽricũ deGãdabo. 22.

A simili corroboratur, quia apud Gentiles idem fuit Rex, & Sacerdos. 23.

Tẽpore Reipublicæ Romanæ Episcopi super diuina, & humana Iurisdictione gaudebant. Et explicatur, quomodo in rebus arduis recurrendum est ad Episcopos. 24.

Regia, & Sacerdotalis dignitas eadẽ apud Ægiptios, Lacedęmonios, Gallos, & Græcos commemoratur. 25.

Apud Hæbræos Regia Potestas cũ Sacerdotali adunabatur. 26.

Ex

thoris libri inscripti *Mare liberum*. Eorum prohibitio à Supremo Inquisitionis Hispaniæ Senatu refertur. 63.

Idem fuit etiam error Ludouici Babari Imperatoris, & explicatur, quo modo Imperatores à Pontifice Imperium accipiunt. 64.

Lotharij Cæsaris testimonium in Summam debitā Ecclesiæ venerationem commendatur. 65.

Philippi Valesij Iuramentum, & error, simulque iniusta determinatio Clerici Gallicani proponitur. 66.

Henricus 4. hunc deponens errorem, & à Sancta Sede absolutus narratur. 67.

Honor exhibitus Pontifici à Constantino Magno laudatur, mirabileque Alexandri Magni exemplum proponitur. 68.

Proponuntur AA. afferentes obedientiæ Summo Præsuli in temporalibus exemplaria. 69.

Ratio decidendi, prima ex eo sumitur, quia Christi, & Pontificis est idem tribunal, & quia Christus habuit, temporalem iurisdictionem executioni mandatam. 70.

Secunda ratiò decidendi statuitur, eo quod Regis depositio potest esse vnicum medium ad bonum spirituale, & salutem Regni, & quomodo Regis ad exemplū totus præuaricabitur Orbis. 71.

Primo argumento satis fit, & exponuntur verba Lucæ: *Quis me constituit Iudicem super vos?* 72.

Anima intelligentiæ Verborum Ioannis: *Regnum meum non est de hoc mundo*. 73.

Duo tempora in Christo considerantur ante passionem, & tunc regnare recusauit, & post passionem, & tunc vniuersalem Potestatem se habere fatetur. 74.

Quomodo negauit *Eius Regnum esse de hoc mundo*, idest de Iure electionis, vel hæreditario, non tamen recusauit habere Regnum in hoc mundo. 75.

Exponuntur verba Cantici: *Non eripit mortalia, qui Regna dat, &c.* 76.

SS. PP. Authoritatibus statuentibus Christum temporaliter non regnasse satisfit, & explicatur quomodo Christus, & Apostoli nullius rei temporalis dominium habuere. 77.

Secundo argumento respondetur, simulque statuitur

can-

Que-

Quomodo Reges Summo Pontifici obedientiã profitentur, cum dicunt *Se Dei gratia Regnare*. 90.

Explicatur cap. *Nouit* de Iudicijs, *Et de feudo Pontificem non Iudicare*, quia Iudicium ferre de feudo pertinet ad habentem illius directum dominium. 91.

Respondetur ad cap. *Lator*, & cap. *Causam*, qui filij sint legitimi, & statuitur, quomodo requiratur causa, vt Pontifex in temporalibus Iudicet. 92.

In possessionibus non iudicat Pontifex, sine causa ex vilitate, & indignitate materiæ, non vero ex defectu Potestatis. 93.

Satisfit cap. *Inter hæc*, & quomodo verificetur in Ecclesia solum reperiri spiritualem gladium. 94.

De Imperatotibus Iudicare non est præiudicium Imperialis Maiestatis, sed magnum spirituale commodum, ex quo soluitur cap. *Imperium*. 95.

Vera intelligentia verborum: *Per me Reges Regnãt*, & quod Deo permittente fit frequenter in pœnam delictorum Regni. 96.

Hoc pluribus exemplis suadetur. 97.

Exponitur D. Paulus dicens obediendum esse Regibus, & Principibus, & quod obedientiam, quam à subditis Principes requirunt, debent Pontifici præstare. 98.

Pro L. Partitæ explicatur Imperatorem esse Vicariũ Dei, & Pontificem non Dominũ, sed Vicariũ Christi. 99.

Probatur Pontificem esse Vicarium, & dispensatorem, non vero dominum spiritualium. 100.

Ex D. Thoma suadetur. 101.

Tribuentes Summo Pontifici dominium in spiritualibus, & temporalibus, sine dubio iniuriam irrogant Pontificiæ dignitati, reffertur que consultatio S. R. E. Cardinalium Paulo 3. 102.

Pontificem posse Reges deponere probatur ex praxi, tot SS. Pontificum, & venerabili antiqua Ecclesiæ consuetudine. 103.

Statuitur pro decisionibus Ecclesiæ hoc stabile fundamentum: *Hoc fecit Ecclesia: ergo licite fieri potest*. 104.

Quomodo antiqua consuetudo à magnis Viris introducta fundat Ius. 105.

Grauia negotia, qualia sunt depositio Regis, &c. fiunt

tola Ludouici XI. Galliæ Regis ad Summum Pontificem satis explicans in his Papæ potestatem, 121.

Quod Ecclesiastici, vel saltim Religiosi non recusant ad Regia Tribunalia. 122.

Quomodo sine læsione aliqua Iurisdictionis Regalis potest hoc Ius dubium commutari ad certum, & sine aliquo scrupulo, neque in Rege, neque in Iudicibus. 123.

FINIS.





